







PROBLEMA
DE ANNO
NATIVITATIS CHRISTI,

UBI

Occasionem offerente vetere Herodis Antipæ nummo, in nummophylacio

CLEMENTIS XIV. P.O.M.

Asservato,

DEMONSTRATUR

CHRISTUM natum esse anno VIII ante æram vulgarem, contra veteres omnes & recentiores Chronologos.

AUCTORE P. DOMINICO MAGNAN
Ordinis Minimorum Presbytero, Philosophiæ Theologiæque Lectore emerito, necnon Academiarum Regio-Metensis ac Etrusco-Cortonensis Socio.





ROMÆ, MDCCLXXII.
Apud Archangelum Casaletti Typographum ad S. Eustachium
Et apud Venantium Monaldini Bibliopolam.

Superiorum facultate.

PROŒMIUM.

HUicce Opusculo occasionem dedit quædam mea, cum viro præstantissimo, mihique colendissimo, contentiuncula de vetere Herodis Antipæ numismate græco, quo paucis abhinc mensibus CLEMENS XIV, Pontifex Maximus, suum ditavit nummophylacium. Viri nonnulli, in republica litteraria principes, quibus legendum illud exhibui, Problema solutum existimare visi sunt. Si res ita sit, & numismatologiæ laude, cui ferè totus nunc studeo, & summa Chronologiæ utilitate, typis illud libenter committo. Rem, ob sexcentas implicationes, impossibilem ferè reddiderat præsertim Eminentissimus Baronius; sed immortalis Norisius, quem interdùm exscripsi, viam mihi ostendit aperuitque, quamquàm ipse quoque erraverit.

APPROBATIONES.

NOS Frater Petrus Segura, Lector jubilatus, necnon totius Ordinis Minimorum humilis Corrector Generalis:

Virtute præsentium litterarum R. admodùm Patri Dominico Magnan, nostræ Massiliensis Provinciæ Theologo, in Regio nostro Sanctissimæ Trinitatis Conventu de urbe commoranti, facultatem ultrò concedimus typis mandandi Dissertationem, cui titulus: *Problema de anno nativitatis Christi*, &c. dummodò priùs approbatum fuerit a Reverendissimis PP. Francisco Jacquier & Joanne Laini, Lectoribus jubilatis, &c. serventurque alia de jure servanda. In quorum fidem, &c. Datum Neapoli, in Conventu nostro S. Mariæ de Stellis, die 14 Januarii Anni 1772.

Fr. Petrus Segura Generalis.

Li-

Librum, *Problema de anno nativitatis Christi* inscriptum, ab admodùm Reverendo P. Dominico Magnan, nostri Minimorum Ordinis emerito S. Theologiæ Lectore, pulcherrimo ordine ac mirâ perspicuitate elaboratum, ex commissione Reverendissimi Patris Petri Seguræ, præfati Ordinis Correctoris Generalis, quâ potui curâ ac diligentiâ perlegi: nihilque in eo, quod orthodoxæ fidei atque doctrinæ adversetur, deprehendi: Immò eruditissimus auctor ita suum, quod sibi proposuit demonstrandum, Problema ex Scripturarum oraculis, Flavii Josephi aliorumque antiquorum testimoniis, atque ex veteribus monumentis solidè ac nervosè solvit, ostenditque Christum anno VIII ante æram vulgarem natum esse, ut Chronologis tàm veteribus quàm recentioribus palmam præripuerit. Quare opus hoc publicâ typorum luce dignum existimo, dum ita, ad quos pertinet videatur. Datum Romæ in Minimorum Collegio S. Francisci de Paula ad Montes die 15 Februarii anni 1772.

Fr. Joannes Laini, Lector jubilatus, studiorum Regens, necnon ad Episcopatum promovendorum Examinator.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

Dominicus Jordani Patriarcha Antioch. Vicesgerens.

✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤

REverendissimi P. Th. Augustini Ricchinii S. P. A. Magistri jussu perlegi *Problema de anno nativitatis Christi*, auctore viro eruditissimo P. Dominico Magnan, Ordinis Minimorum Presbitero, &c. Cùmque nihil proferat, quod ab orthodoxa fide, ac bonis moribus dissentiat; sed potiùs difficillimam & obscuram Historiæ, ac Chronologiæ Ecclesiasticæ partem, *De anno nativitatis Christi*, ex vetere Herodis Antipæ nummo, mirâ doctrinæ sagacitate præclarè illustret; Opus profectò dignum censeo, quod typis mandetur. Ex Bibliotheca Barberina VIII Kalendas Martii 1772.

Simon Ballerinius SSmi D. N. Papæ a cubiculo honorarius, J. V. D. & Bibliothecæ Barberinæ Præfectus.

Ju-

JUbente Reverendissimo Patre Ricchinio, Sacri Palatii Apostolici Magistro, attentè perlegi Opusculum, sacrâ profanâque eruditione ornatissimum, cui titulus: *Problema de anno nativitatis Christi*, auctore P. Dominico Magnan, ex Ordine Minimorum, S. Theologiæ Professore. In hoc quidem libro nihil inveni sanctæ Fidei & bonis moribus adversum; sed contrà, quidquid congessit eruditus auctor ad explicandum Problema difficillimum, rei antiquariæ & Historiæ studiosis gratissimum fore censeo. Datum Romæ in Conventu Sanctissimæ Trinitatis in monte Pincio, die 25 mensis Martii Anni 1772.

Fr. Franciscus Jacquier, ex Minimorum familia, in Romano Archigymnasio & in Collegio Urbano de Propaganda fide Professor emeritus.

✚✚✚✚✚✚✚✚✚✚✚✚✚✚✚✚✚✚✚✚✚✚✚

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Augustinus Ricchinius Ordinis Prædicatorum Sac. Pal. Apost. Magister.

MONITUM
TYPOGRAPHI.

I. SI *quis librum istum, nondum compactum, receperit, septem nummorum veterum tabulas ante paginam* 17 *ordinabit.*

II. *Modò etiam prælo subjicio ejusdem R. P. Magnani opus alterum, cui titulus:* Populorum insigniumque virorum numismata omnia, in variis per Europam nummophylaciis accuratè descripta. *in* 4 *magno & charta regia. Tomus* 1. *Idem quoque emittam in* 8 *magno & eadem charta. Qui in hujus operis societatem nomen dare voluerint, solvent septem paulos cum dimidio, seu quatuor libras gallicas pro quolibet volumine; cæteri verò, scutum Romanum. Quoad Bibliopolas autem, qui operis socios conferent, ii consueta obtinebunt emolumenta.*

INDEX SECTIONUM.

PO-

CO-

CO-

CO-

SCHO-

ERRATA

Pag. 59, lin. 16 dele *Augusto*.

Vox hæc græcè observatur quidem in nummis Herodis Antipæ, quos edidit Vaillantius, ut n. I, p. 187, quosque hic delineatos vides tab. 3, num. III & V, cum ΓΑΙΩ ΚΑΙCΑ ΓΕΡΜ CΕΒ; sed non legitur in nummo Clementino, quem exhibui ead. tab. 3, num. I, nec in num. IV Pelleriniano, ut litteris suis ad me nuper scripsit clarissimus *le-Blond*, Bibliothecæ Mazarinæ Vice-Præfectus, vir scriptis numismatologicis ac multiplici victoria Academica celebris.

PRO-




ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΣΕΒΑΣ
ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΣΕΒΑΣ
ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΣΕΒΑΣ
ΣΕΒΑΣΤΟ




ΑΡΧΙΕΡΕΙ ΚΑΙΣΑΡΙ
ΣΕΒΑΣΤΩ


ΑΡΧΙΕΡΕΙ ΚΑΙΣΑΡΙ
ΣΕΒΑΣΤΩ




N.°
ΕΒΑΣΤΟ



HE

NVMM


ΓΑΙΩ
ΚΑΙCΑ
ΡΙΓΕΡ
ΜΑΝ


ΗΡΩΔΟΥ


ΓΑΙΩ
ΚΑΙCΑ
ΓΕΡΜ
CΕΒ


ΓΑΙΩ
ΚΑΙCΑΡ
ΓΕΡΜΑ
ΝΙΚΩ


ΓΑΙΩ
ΚΑΙCΑ
ΓΕΡΜ
CΕΒ

N.° 2.


ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ


ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ


ΑΝΤΙΟΧΕ


ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ



ΜΗ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ



N.° 1.











PROBLEMA
DE ANNO
NATIVITATIS CHRISTI.

QUam ſit abſtruſarum, reconditarumque rerum in hominibus ignoratio tolerabilis, inquit eruditus Petavius (1), documento illud eſſe poteſt, quod vulgarium & quotidianarum tantis ſit difficultatibus obſtructa cognitio. Cùm enim Chriſto Domino, ab eoque geſtis rebus, & ipſius Nativitate, vitâ atque morte, nihil ſit Chriſtianis hominibus notius; obſcuriſſima nihilominus illorum omnium tempora ſunt, neque quibus annis ſingula contigerint, plenè fuit hactenus ac liquidò compertum.

A Di-

(1) Dionyſ. Petavius *de doctr. temp.* part. II, lib. XII, proth. p. 395 edit. Lutetiæ Pariſ. MDCXXVII, in fol. & ipſum ſequutus Vaillantius *Differt. ſur l'ann. de la naiſſ. de J. C.* apud *Memoir. de l'Acad. roy. des inſcript.* tom. II, part. II, p. 185, edit. à la Haye MDCCXIX, in 12.

Divus quidem Lucas, Evangelista, Christi nativitatis annum diligenter, admodùmque accuratè (2) indicavit, cùm loco inferiùs laudando, scripserit eum natum esse anno, quo universi orbis Romani census edicto Cæsaris Augusti actus fuit: quæ res certè notissima erat in Judæa & in toto Romano Imperio, ac memoriæ demandanda.

Hujus tamen census, præter consuetudinem, non meminerunt ferè Scriptores profani: unde Sancti Patres, qui id scriptum non invenêre, de eo, prout variis cognitionibus affectum habuêre animum, variè loquuti sunt. De iis tamen, qui prioribus Ecclesiæ seculis floruêre, meritò queri liceret, quod indiligentiùs illa, quæ erant eis cognitu faciliora, utpote proximiora, persequentes, justissima posteritatis studia frustrati sunt. Verùm hoc sub ipsa Christianæ religionis initia (3), quod primis imperiorum ac civitatum temporibus accidit, ut qui tùm vivebant homines gerendis potius essent quàm scribendis rebus intenti. Ex quo factum est ut, obsolescente pau-

(2) Non autem *minùs limatè ac subtiliter*, uti scripsit Petavius, ut n. 1.

(3) Petavius, ut n. 1.

paulatim illarum memoriâ, qui se ad easdem notandas & illustrandas postea contulerunt, in tenuibus & obscuris antiquitatis vestigiis majori se operæ & industriæ laude, quàm fructu ac pretio jactaverint.

Si primi Christi Discipuli annos numerassent ab ejus Nativitate, uti fecerunt deinde Christiani, res indubitata remansisset: ast ab Ethnicis, quibuscum vitam degere tenebantur, minimè intellecti fuissent. Hinc in locis variis a variis epochis annos numerarunt.

In Patriarchatu Alexandrino (4) Christiani victoriæ Actiacæ, anno Romano 723 (5), aut potius mortis Antonii & Cleopatræ epochâ utebantur. Deinde verò in Ægypto æram Diocletiani, seu Martyrum, amplexi sunt a tertio ad sextum Christianismi seculum. Hoc tandem exeunte Ecclesia latina uti cœpit ærâ, quam Dionysius exiguus, Scythiæ Monachus, Diocletianum, qui tot Christi Martyres mactaverat, ut tyrannum execrans, excogitaverat a Christi Domini Incarnatione, cujusque initium ducebat a prima

A 2 die

(4) Teste Vaillantio, ut n. 1.

(5) Errore, ut credo, Typographi apud Vaillantium, ut n. 1, scriptum est 751 pro 723.

die Januarii anni 4714 periodi Julianæ, seu 754 Romani, quo Romæ Consules fuêre Cajus Julius Cæsar, & Lucius Æmilius Paullus.

Hæc est æra, quæ hodiè *vulgaris*, aut etiam minùs bene *Christiana* appellatur. Cùm enim Dionysii exigui ætate jam obliterata esset Christi Nativitatis anni memoria, erravit ipsemet in eo adsignando, & in errorem induxit ceteros. Unde numerandus est etiam inter eos, de quibus scripserat Divus Augustinus (6): *per Olympiadas & per Consulum nomina, multa sæpe quæruntur a nobis: & ignorantia consulatus, quo natus est Dominus, & quo passus est, nonnullos coegit errare.*

Nullum porro, sacris Scriptoribus exceptis, circa Nativitatis Christi annum per XVIII secula non errasse mihi videtur. Utrum autem bene an male, dijudicare poteris ex Scriptorum opinionibus, infra describendis, si eas cum Problematis solutione conferre volueris.

HIS-

(6) Aur. Augustinus *Oper.* tom. III, part. I, *de doctr. Christ.* lib. II, cap. XXVIII, col. 36, edit. Paris MDCLXXXIX, in fol.

HISTORIA

Opinionum de anno Nativitatis Christi.

S*Eculo I* Divus Lucas Evangelista, Christi natale consignavit anno VIII ante æram vulgarem, seu 4706 periodi Julianæ, cùm asserat, eum natum esse, dum jussu Cæsaris Augusti agebatur census, seu universi Orbis Romani descriptio. Vide inferius *Axioma IV.* Hæc enim descriptio facta est anno VIII ante æram vulgarem, ut dicturus sum propositione IV.

Seculo II exeunte, jam obliteratâ Christi nativitatis anni memoriâ, Sanctus Clemens Alexandrinus, doctissimus Ecclesiæ Pater, Christum natum dixit (7) *octavo & vigesimo anno*, qui, Ægyptiorum more, ab Antonii & Cleopatræ morte computatus, est secundus ante æram vulgarem, si cum iisdem Ægyptiis diem VI Januarii Christi natalem crediderit; aut tertius, si cum Ecclesia Romana diem XXV Decembris Christi nativitati assignaverit.

 Dein-

(7) Clemens Alexandr. *Stromat.* lib. I, p. 99, edit. apud *Maxim. Biblioth. Vet. Patr.* t. III, Lugduni MDCLXXVII, in fol.

Deinde Tertullianus (8), vir inter Africanos præstantissimus, ineunte *Seculo III*, pariter existimavit Christum natum anno III ante æram vulgarem, cùm annum XLI Imperii Augusti ortui Christi assignet (9). Verùm Sanctus Hippolitus, Portuensis Episcopus & Martyr (10), Clementis Alexandrini Discipulus (11), sacrum natale, teste Alexandro (12), anno II ante eamdem æram, seu 4712 periodi Julianæ consignavit (13). Eodem seculo Julius Africanus, historicus insignis, epocham nativitatis Christi fixit (14) an-

(8) Hic obiit anno circiter 216, teste Lavocato *Dict. histor. Port.* t. II, p. 571, edit. à Paris MDCCLV, in 8.

(9) Q. Sept. Florent. Tertullianus *Opera* lib. *adver. Judæos* p. 214, edit. Lutetiæ MDCXXXIV, in fol.

(10) Anno circiter 230, teste Lavocato, ut n. 8, t. I, p. 565.

(11) Teste Joh. Jac. Hofmanno *Lexic. univ. histor.* tom. I, p. 776, edit. Basileæ MDCLXXVII, in fol.

(12) Natal. Alexander *Hist. eccles.* tom. III, Sec. I, Dissert. II, p. 65, edit. Paris. MDCXCIX, in fol.

(13) Hippolitus *Canon. pascha.* apud Alexandrum, ut n. 12.

(14) Jul. Africanus in fragmento, quod Petavius recitat lib. VIII Auctarii, cap. IV, teste Alexandro, ut n. 12.

anno 4714 periodi Julianæ, seu I æræ vulgaris.

Seculo IV Divi Hieronymus (15) & Joannes Chrysostomus (16), Ecclesiæ Doctores eximii, Christum natum scripserunt (17) anno III ante æram vulgarem, haud dubiè Clementem Alexandrinum sequuti. Eodem seculo Sanctus Epiphanius (18), Ecclesiæ Doctor & Salaminis Episcopus, Divi Hippoliti sententiam amplexus est, & Christi ortum anno Juliano XLIV, seu II ante æram vulgarem, addixit (19);

(15) Hic floruit seculo IV & ineunte V, obiitque anno 420, teste Lavocato, ut n. 8, tom. I, p. 616.

(16) Floruit seculo IV, sed mortuus est anno 407, teste eodem Lavocato, ut n. 8, tom. I, p 601.

(17) Sanctus nempe Euseb. Hieronymus *Oper.* t. III, *comment. in Daniel.* cap. IX, col. 1116, edit. Paris. MDCCIV, in fol. & Joannes Chrysostomus Homil. in illud: *Exiit edictum a Cæsare Augusto*, apud Alexandrum, ut n. 12.

(18) Obiit anno 403, teste Hofmanno, ut n. 11, p. 604.

(19) Epiphanius Salam. *Oper. omn.* lib. II, tom. I, Hæres. LI, p. 445, edit. Coloniæ MDCLXXXII, in fol. Quia tamen Sanctus Doctor ibid. lib. I, tom. I, Hæres. XX, p. 48, natalem Christi annum copulavit cum XXXIII Herodis regni anno, verisimile est eum

cùm eum natum afferat Augusto & Silano (20) Consulibus, VIII idus Januarii. In eadem sententiâ fuit Eusebius Cæsariensis (21), vir hujus seculi doctissimus, qui annum XLII Imperii Augusti & XXVIII ab Ægypto subjugatâ, ac Antonii & Cleopatræ morte, Natali Domini assignat in Historia Ecclesiastica (22) & annum III Olympiadis 194 in Chronico. Apollinarius autem Laodicænus (23), Apollinaristarum auctor, Christum in lucem prodiisse anno Juliano XLV, seu I ante æram vulgarem existimasse videtur (24): & Pandorus, Monachus Ægyptius, qui Arcadii Imperatoris ætate floruit (25), Domini nativitatem anno

eum credidisse Christum natum anno VIII. ante æram vulgarem, ut dicturus sum inferiùs Propositione II.

(20) Seu *Silvano*, omisso nempe elemento v.

(21) Mortuus est anno circiter 338, teste Lavocato, ut n. 8, tom. I, p. 393.

(22) Eusebius Cæsar. *Oper. omn.* tom. II, *Hist. eccles.* lib. I, cap. V, p. 9, edit. Paris. MDLXXXI, in fol.

(23) Hic obiit anno circiter 380, teste Lavocato, ut n. 8, tom. I, p. 64.

(24) Apollinarius Laodic. apud S. Hieronymum, ut n. 17, col. 1114.

(25) Teste Georgio Syncello *Chronogr.* ann. mundi 5533, p. 326, edit. Paris. MDCLII, in fol.

no Juliano XLVI, seu I æræ vulgaris adscripsit (26).

Seculo V ineunte Severus Sulpicius (27), historicus celebris, Christi ortum affixit anno IV ante æram vulgarem, seu 4710 periodi Julianæ, utpote asserens (28) eum natum esse Sabino & Rufino (29) Consulibus, VIII Kalendas Januarii. Paullus verò Orosius, Sancti Augustini discipulus, Dominum natum dixit (30) an-

(26) Pandorus apud Alexandrum, ut n. 12.

(27) E vita migravit anno 420, teste Lavocato, ut n. 8, p. 549.

(28) Sulpicius Sever. *Sacr. histor.* lib. II, p. 351, edit. Bononiæ MDLXXXI, in 12. Sulpicius tamen natalem Christi annum rectè assignasse dicendus est. Ibidem enim scripsit Christum natum anno XXXIII regni Herodis magni, quem, pagina sequenti, regnasse ait annos XXXVII. Cùm enim Herodes, ex Propositione I, obierit anno IV ante æram vulgarem, ineunte principatus anno XXXVII, annus ejus regni XXXIII cum anno VIII ante eamdem æram copulandus est. Unde omninò videtur Sulpicius credidisse natum Dominum anno VIII ante æram nostram, & erravisse tantum in assignandis ejusdem anni Consulibus.

(29) Seu *Rufo*.

(30) Paul. Orosius *Histor.* lib. VII, cap. II.

anno II ante æram vulgarem, Sanctum Hippolitum sequutus.

Seculo autem *VI* Cassiodorus, Consul anno 514, Christi natale consignavit (31) anno III ante æram vulgarem. In Chronico enim disertè ait Christum natum C. Lentulo & Messala Consulibus, anno imperii Augusti XLI. Eodem seculo Dionysius exiguus, Scythiæ Monachus, Christum natum scripsit anno I æræ vulgaris, ut dicam inferiùs Propositionis IV Corollario XIV.

Deinde Sanctus Isidorus Hispalensis (32), Hispaniæ oraculum *seculo VII*, Divi Hippoliti opinionem refricuit, & Christum natum credidit (33) anno II ante æram vulgarem. Eodem seculo Julianus Pomerius (34), celebris Episcopus Toletanus, natum Dominum anno Ju-

(31) Mag. Aur. Cassiodorus *Oper. omn.* tom. I, *Chronic.* p. 385, edit. Rotomagi MDCLXXIX, in fol.

(32) Hic, teste Lavocato, ut n. 8, tom. I, p. 640, obiit anno 636.

(33) Isidorus Hispal. *in Chronico*, apud Alexandrum, ut n. 12.

(34) Vitam deseruit anno 690, teste Lavocato, ut n. 8, tom. I, p. 645.

Juliano XLV, seu I ante æram vulgarem existimasse (35) videtur.

Insequenti *seculo VIII* Venerabilis Beda (36), vir sanè doctissimus, sequutus est opinionem Julii Africani, & epocham nativitatis Christi fixit (37) anno Juliano XLVI, seu I æræ vulgaris.

Seculo autem *IX* Nicephorus (38), celebris Patriarcha Constantinopolitanus, sacrum natale consignavit (39) anno mundi 5500, aut 5501, qui in ejus mente, cum anno IX æræ vulgaris, seu 4722 periodi Julianæ convenire videtur.

Seculo X, æram vulgarem sequuti, Dominum natum credidêre anno I ante eamdem æram, seu 4713 periodi Julianæ.

Se-

(35) Julianus Pomer. *contra Judæos* lib. III, apud Alexandrum, ut n. 12.

(36) Mortuus est anno 735, teste Lavocato, ut n. 8, tom. I, p. 126.

(37) Beda *de Temp. ratione*, cap. 45, apud Alexandrum, ut n. 12.

(38) Hic obiit anno 828, teste Hofmanno, ut n. 11, tom. II, p. 18.

(39) Nicephorus Constant. *Chronogr. brev.* p. 400, edit. cum *Chronogr.* Georgii Syncelli, Paris. MDCLII, in fol.

Seculo autem insequenti *XI*, Cedrenus, Monachus Græcus, Christi natalem addixit (40) anno II ante æram vulgarem, seu Augusti imperii XLII, quem cum anno ab orbe condito 5506 copulavit.

Seculo XII, Dominum natum vulgò crediderunt anno XXII ante æram vulgarem.

Seculo etiam *XIII* Matthæus Parisius, doctissimus Monachus Anglus è Benedictinorum familiâ, existimavit (41) Christum in lucem prodiisse anno XXI ante eamdem æram.

Opiniones istæ floruêre pariter insequenti *seculo XIV*.

At *seculo XV* Tostatus, doctus Abulensis Episcopus (42), Christi natale consignavit (43) anno 4713 periodi Julianæ, seu I ante æram vulgarem.

Insequenti *seculo XVI*, Eminentissimus Cardi-

(40) Georg. Cedrenus *Compend. hist.* tom.I, p. 173, edit. Paris. MDCXLVII, in fol.

(41) Matt. Paris. *Hist. major*, ad ann. MIXXVI, p. 7, edit. Paris. MDCXLIV, in fol.

(42) E vita migravit anno 1454, teste Lavocato, ut n. 8, p. 603.

(43) Tostatus *Defensor.* part. II, cap. XI & XII, apud Alexandrum, ut n. 12.

dinalis Baronius (44), Josephus Scaliger (45) & Torniellus (46) existimarunt Christum natum fuisse anno III ante eamdem æram, Consulibus Cornelio Lentulo & Valerio Messalino: sed Genebrardus (47), Archiepiscopus Aquensis, Christi nativitatem addixit anno Juliano XLV, seu I ante æram vulgarem. In eadem sententia fuit Lucidus Samosathenus (48), celebris mathematicus.

Seculo XVII R. P. Natalis Alexander (49) è Prædicatorum familiâ, ac in facultate Parisiensi Doctor, Christum natum scripsit anno V ante æram vulgarem. Vossius verò (50) vo-

(44) Cæs. Baronius *Annal. Eccles.* tom. I, *Apparat.* p. 46, edit. Romæ MDLXXXVIII, in fol.

(45) Joseph Scaliger *Notæ in frag.* p. 59, edit. ad calcem *de emendat. temp.* Genevæ MDCXXIX, in fol.

(46) August. Torniellus *Annal. sacr.* tom. II, ann. mun. 4051, n. II, p. 598, edit. Mediolani MDCX, in fol.

(47) Genebrardus *in Chronico* apud Alexandrum, ut n. 12.

(48) Lucidus *de emend. temp.* lib. VII, cap. 2, apud eumdem Alexandrum, ut n. 12.

(49) Natal. Alexander, ut n. 12.

(50) Gerard. Joh. Vossius *Chronol. sacr. isag.* Differt.

voluit eumdem in lucem prodiisse anno III ante eamdem æram. Eodem seculo Labbeus, vir pereruditus, Christum natum anno I ante æram vulgarem contendit in suo Compendio chronologico (51), ubi ait: *anno Romano 753, a mundo condito 4053, ante Jesum Christum (52) primo, Imperatoris Augusti XLIII, 194 Olympiadis IV, Romæ Consulibus Cornelio Lentulo & Lucio Calpurnio Pisone, die XXV mensis Decembris, Bethlehemi Judææ natus est Jesus Christus Deus-homo.* Labbei sententiam amplexus est Musantius, ut testatur ipsemet in suis Tabulis chronologicis, ubi (53) scripsit: *Herode regnante, natum esse Christum . . . fatentur: verùm de nativitatis anno variæ Chronologorum sententiæ: nos cum Labbeo, aliisque eam amplectimur, quæ illam Herodiani regni 37 statuit anno, Juliano 45 desinente.*

Hoc tandem *seculo* nostro *XVIII*, R. P. Joan-

---

sert. I, *de Chr. ann. nat.* num. XLIV, p. 35, edit. Hagæ-comitis MDCLIX, in 4.

(51) Philipp. Labbe *Abregè Chron.* part. II, p. 518, edit. à Paris MDCLXIII, in 12.

(52) Id est, ante æram vulgarem.

(53) Joan. Dominic. Musantius *tab. Chronol.* sext. æt. p. 79, edit. Romæ MDCCLI, in 12.

Joannes Baptista Faure (54) eruditione clarus, Musantii sententiam de Christo nato anno primo ante æram vulgarem, contra Vaillantium & Eminentissimum Cardinalem Norisium tuitus est in Dissertatione historico-critica, ubi (55) ait: æram vulgarem, teste clarissimo Horrebovio (56), *primus Scaliger impugnare cœpit. Me verò vehementer pudeat vulgarem epocham correctione dignam existimare, quam nuper Horrebovius, Protestantium & nostrorum Scriptorum elogiis apprimè doctus, Dissertatione peculiari anno* 1731 *ita probari putat diuturno mille annorum usu in occidentali Ecclesia, ut rationes post Scaligerum excogitatas facili, firmâque responsione elidi arbitretur*. Ludovicus autem Boivinius, Inscriptionum humaniorumque litterarum Academiæ Regio-parisiensis Socius, ineunte hoc seculo cum majori laude scripserat (57) Christum

(54) Joan. Bapt. Faure *Differt. hist. crit.* p. 405 & seqq. edit. apud Musantium, ut n. 53.

(55) Faure, ut n. 54, §. VIII, p. 431.

(56) Horrebovius *Oper. math. phys.* tom. II.

(57) Lud. Boivin. *Chronol. de Denys d'Halicarn.* edit. apud *Memoir. de liter. de l'Acad. roy. des inscript.* tom. II, part. II, p. 3, à la Haye MDCCXIX, in 12.

ſtum natum anno VII ante æram vulgarem.

Ex his omnibus tam pugnantibus ſententiis abunde patet Chriſti nativitatis anni memoriam ab ipſâ ferè Apoſtolorum ætate fuiſſe obliteratam, nec deinceps rectè reſtitutam, cùm ſingulis Eccleſiæ ſeculis adeò variè de eâ ſenſerint ſancti Patres, & alii Scriptores Chriſtiani.

Plurimi inter eos varia Evangeliſtarum & ſanctorum Patrum loca inter ſe conciliare tentarunt: verùm quia his vel illis ſanctis Patribus plus minuſve auctoritatis conceſſerunt, in varias abiêre partes, nec rem finire potuêre. Non mirum certè. Etenim Evangeliſtæ, non Eccleſiæ Patribus, qui longo poſt tempore vixerunt, conciliandi erant, ſed monumentis antiquis, Scriptoribuſque coetaneis. Hic enim non agitur de fide & doctrina, ſed de re merè chronologicâ.

Aliâ igitur viâ veram Chriſti natalis anni memoriam renovare tentabo: ſed ut ſolvatur problema, neceſſariò præmittenda ſunt quatuor Axiomata, totidemque Definitiones, Poſtulata & Propoſitiones, a quibus pendet ejus ſolutio.

AXIO-

AXIOMA I.

Christus natus est ante mortem Herodis Magni, Judææ Regis.

ID testantur Sacræ Paginæ, cùm Divus Matthæus (58) in Evangelio scripserit: *cùm ergo natus esset Jesus in Bethlehem Judæ in diebus Herodis Regis.*

Quæram igitur in I Propositione quo anno & mense mortuus sit Herodes.

AXIOMA II.

Christus fugit in Ægyptum ante mortem Herodis Magni.

ID nos docet Divus Matthæus (59) in Evangelio, ubi narratis quæ spectant ad Magorum adorationem, statim sic prosequitur: *qui cùm recessissent* (Magi), *ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: surge & accipe puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum: & esto ibi usque dum dicam tibi;*

B fu-

(58) Matthæus *Evangel.* cap. II, p. 666, apud *Bibl. Sacr.* edit. Lugduni MDCXIII, in 12.

(59) Id. ibid.

futurum est enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Qui consurgens accepit puerum & matrem ejus nocte, & secessit in Ægyptum; & erat ibi usque ad obitum Herodis. Tunc Herodes videns quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus, a bimatu & infra, secundum tempus quod exquisierat a Magis.... Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto, dicens: surge & accipe puerum & matrem ejus, & vade in terram Israel. Defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. Qui consurgens accepit puerum & matrem ejus, & venit in terram Israel. Audiens autem quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illò ire: & admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ: & veniens habitavit in Civitate, quæ vocatur Nazareth.

Quæram igitur in II Propositione quo anno Christus fugerit in Ægyptum.

AXIO-

AXIOMA III.

Christus a Magis adoratus est ante mortem Herodis Magni.

ID evidens est ex Evangelio, cùm Divus Matthæus (60) ibi scripserit: *Ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam, dicentes: ubi est qui natus est Rex Judæorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum. Audiens autem Herodes Rex, turbatus est, & omnis Jerosolyma cum illo; & congregans omnes Principes Sacerdotum, & Scribas Populi, sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt: in Bethlehem Judæ. Sic enim scriptum est per Prophetam: & tu Bethlehem terra Juda, nequaquam es minima in principibus Juda: ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israel. Tunc Herodes clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis: & mittens illos in Bethlehem, dixit: ite, & interrogate diligenter de puero, & cum inveneritis, renunciate mihi, ut & ego veniens adorem eum. Qui cum audissent Regem, abierunt.*

(60) Id. ibid.

runt. Et ecce ſtella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, uſquedum veniens ſtaret ſupra, ubi erat puer. Videntes autem ſtellam gaviſi ſunt gaudio magno valde, & intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus, & procidentes adoraverunt eum: & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, Thus & Myrrham. Et reſponſo accepto in ſomnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam.

Quæram igitur in III Propoſitione quo anno Magi Hieroſolymam venerint Chriſtum adoraturi.

AXIOMA IV.

Chriſtus natus eſt dum cenſus, Auguſti edicto, agebatur in Judæa.

ID teſtatur Divus Lucas (61) in Evangelio, ubi narratis quæ ſpectant ad Joannem Baptiſtam, Præcurſorem Domini, hæc ſubjungit: *Factum eſt autem in diebus illis, exiit edictum a Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus Orbis. Hæc deſcriptio prima* *fa-*

(61) Lucas *Evangel.* cap. II, p. 701, apud *Bibl. Sacr.* ut n. 58.

facta est a Præside (62) *Syriæ Cyrino* (63), *& ibant omnes, ut profiterentur singuli, in suam Civitatem. Ascendit autem & Joseph a Galilæa de civitate Nazareth, in Judæam in Civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo & familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante. Factum est autem, cùm essent ibi, impleti sunt dies ut pareret; & peperit filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in Præsepio, quia non erat eis locus in diversorio.*

Quæram igitur in IV Propositione quo anno census iste actus fuerit: & tandem in solutione Problematis, quo anno Christus natus sit, demonstrabo.



(62) Ibi vox *Præside* æquivocatione laborat, ut dicturus sum inferiùs propositionis IV Sectione II: unde eò loci laudatæ vulgatæ editionis accuratiùs legeretur *Censore*, aut *Procuratore*.

(63) Seu *Quirinio*.

DEFINITIO I.

Æra vulgaris (64) eſt ea, quâ utuntur Chriſtiani in Europa, & a cujus initio numeramus nunc annum 1772.

DEFINITIO II.

Æra Chriſtiana eſt ea, quæ initium ducit a Chriſti nativitate, & quâ uti deberent Chriſtiani.

DEFINITIO III.

Periodus Juliana eſt quidam Orbis annorum ex triplici illo Cyclorum genere conflatus, aureo ſcilicet numero, Cyclo ſolari, & indictione, ex quibus inter ſe multiplicatis reſultant anni 7980, quorum 4714 concurrere dico cum anno primo æræ vulgaris.

DEFINITIO IV.

Anni Juliani initium ducunt a die prima Januarii.

PO-

(64) Hæc omnium ore dicitur etiam *Chriſtiana*, ſed minus bene, cùm omnino diverſa ſit a vera æra Chriſtiana, ut ſequentibus patebit.

POSTULATUM I.

Concedendum æram noſtram vulgarem, de qua definitione I, iniiſſe die I menſis Januarii anni ab hinc 1772, quo Romæ Conſules erant Cajus Julius Cæſar & Lucius Æmilius Paullus. Hâc præſertim ærâ in annis computandis utimur. Cæteras, ſi Chriſtianam excipias, inferiùs in Canone chronologico additurus ſum tantùm, ut faciliùs intelligi poſſint Scriptores infra laudandi. Hinc

POSTULATUM II.

Concedendum ſupponendumve annos Romanos, periodi Julianæ, Imperii Romani, Olympiacos, Julianos & Actiacos, concurriſſe cum annis æræ vulgaris, quibus conjuncti ſunt in Canone inferiori. Id demonſtrare poſſem, aſt nimis longum.

POSTULATUM III.

Concedendum Romæ Conſulatum geſſiſſe eos, quorum nomina notantur in Canone chronologico inferiùs ſubnectendo, iiſque annis ſub quibus ſcripta ſunt. Id etiam certum demonſtrare poſſem, ſi neceſſe eſſet.

POSTULATUM IV.

Concedendum annum 4714 periodi Julianæ concurrere cum anno primo æræ vulgaris.

PROPOSITIO I.

Herodes Magnus mortuus est anno IV ante æram vulgarem, mense Martio.

HÆC Propositio certa demonstratur plurimis, & quidem omnium efficacissimis Historiæ momentis, cùm de ea conveniant Scriptores coætanei, aut ferè coætanei; Historici variarum Nationum, Judæi, Græci & Romani; & vetera monumenta. Nulla enim major Chronologis afferri potest probatio.

Ut autem res faciliùs intelligatur, brevem Herodis Magni & Herodis Antipæ historiam contexere necesse est, additis characteribus & circumstantiis, quibus annus Herodis Magni mortis confirmari aut impugnari potest. Hìc mihi duces erunt præsertim numismata antiqua & Flavius Josephus, testis probatissimæ fidei & omni exceptione major, cuique inter omnes, qui Historiam Herodianam

nam conſcripſère, ut fatetur Euſebius (65), palma citra controverſiam debetur, ut pote qui floruit eodem ac Herodes ſeculo, quique Nicolai Damaſceni, teſtis oculati, ſcripta præ manibus habuit, plurimaque ex illis tranſcripſit (66). Nicolaus porro, Hiſtoricus inter coætaneos celeberrimus, primus Herodis Magni adminiſter fuit, unde ejus res geſtas haud dubiè benè novit.

Joſepho igitur teſte, Herodes Magnus *quintâ die* (67) *poſtquam Antipatrum filium occidit, vitâ defunctus eſt; poſt detruſum Regno Antigonum anno trigeſimo quarto; ex quo autem a Romanis Rex declaratus eſt anno trigeſimo ſeptimo*. Hic porro annus IV eſt ante æram vulgarem, 750 Romanus, & 4710 periodi Julianæ. Nam

I. Auctore Joſepho, Herodes Aſcalonita, Magnus deinde dictus, *Romæ* (68) *univerſi Se-*

(65) Euſebius, ut n. 22.

(66) Ut videre eſt in variis Joſephi Operibus.

(67) Flav. Joſephi *Opera*, lib. XVII *de antiq. Jud.* cap. X, p. 505, edit. Francoforti MDLXXX, in fol. idem narrat ibid. *de bel. Jud.* lib. I, cap. XXI, p. 672.

(68) Id. ibid. *de antiq. Jud.* lib. XIV, cap. XXVI, p. 423.

Senatûs suffragiis Judææ Rex declaratus est: dimissoque Senatu Marcus Antonius & Cæsar (deinde Augustus dictus) *medium habentes Herodem exiverunt, Consulibus, cæterisque Magistratibus ducentibus, ascenderuntque in Capitolium, sacra ibi facturi, &* (69) *Senatûs consulta deposituri. Atque hoc pacto Herodes regium fastigium adeptus est Domitio Calvino iterum & Cajo Asinio Pollione Consulibus, Olympiade centesimâ octogesimâ quartâ*: id est, exeunte circiter Septembri anni XL ante æram vulgarem, seu 4674 periodi Julianæ, vergentis 714 Romani, quo Consules fuère Calvinus & Pollio. Hîc enim Josephus, ut inferiùs dicturus sum Corollario primo, paulò minùs accuratè notavit Olympiadem currentem initio anni consularis, quo eo loci utitur præsertim pro charactere Chronologico, Herodisque Regni annos numeravit ab ineunte anno Judæorum sacro, seu Martio nostro, ex sequenti Corollario VIII.

Porro si ab ineunte circiter Martio anni 4674 periodi Julianæ numeres XXXVII annos, XXXVII initium habebis anno 4710, qui

(69) Id. ibid. p. 424.

qui est IV ante æram vulgarem, seu 750 Romanus. Herodes igitur obiit anno IV ante æram vulgarem, & quidem mense Martio, ut ex dicendis inferiùs patebit. Vide infra Sectiones III & V, ac Corollarium VII.

II. Herodes, Auctore Josepho (70), Regno suo verè potitus est post expugnatam Hierosolymam & detrusum Antigonum *Olympiade* 185, *Romæ Consulibus Marco Agrippâ & Canidio* (71) *Gallo*, anno scilicet 717 Romano, 4677 periodi Julianæ, seu XXXVII ante æram vulgarem, *trigesimo quarto*, ut subjungit Josephus (72), ante mortem ejusdem Herodis. Porro si ab ineunte circiter Martio anni 4677 periodi Julianæ numeres XXXIV annos, XXXIV initium habebis pariter anno 4710, seu IV ante æram vulgarem, Romano verò 750. Eo igitur anno obiit Herodes.

III. De hoc Herodis mortis anno cum Josepho conveniunt & nummi antiqui, eo ipso tem-

(70) Id. ibid. cap. XXVIII, p. 432.

(71) Ita apud Josephum pro *Caninio*, Typographi incuria, mutato *N* posteriore in *D*.

(72) Josephus, ut n. 67, p. 505.

tempore cusi. Ille rem narrat, isti tempus ostendunt.

Nummi porro veteres, quos laudaturus sum, quibusque ad idem demonstrandum jam usi sunt Norisius & Vaillantius, Antiochiæ ad Orontem fuêre cusi per triennium, quo Publius Quintilius Varus præfuit Syriæ, cujus metropolis erat Antiochia. In antica parte Jovis tantum caput exhibent barbatum & laureatum, lævam versùs, sine epigraphe: sed in postica, ubi cernitur muliebris civitatis genius sedens cum palmæ ramo in dextra & Orontis fluvii natantis figurâ ad pedes, legitur **ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΠΙ ΟΥΑΡΟΥ ΕΚ**, vel **ςΚ**, seu **ꞔΚ**, vel **ΖΚ**, id est, moneta *Antiochensium sub Varo* anno *vigesimo quinto*, vel *vigesimo sexto*, vel *vigesimo septimo* (a), quibus Varus, Augusti Legatus, Syriam administravit.

A variis epochis annos numeravêre Antiochenses, ut liquet ex eorum numismatibus: sed Augusti ætate utebantur ærâ Actiacâ, ut certò nos docent eorum nummi argentei, in honorem hujusce Imperatoris cusi, in

(a) Vide tabulam I.

in quorum aversa parte cernitur idem omnino typus ac in nummis Vari jam descriptis, sed cum epigraphe ΕΤΟΥΣ ΝΙΚΗΣ ςΚ; id est, *anno Victoriæ vigesimo sexto*. Id fusiùs ostendam inferiùs Corollario V, adversùs R. P. Faure & alios, qui, contemptâ evidentiâ, aliter sentire ausi sunt, ut gravi contra suam sententiam argumento sese expedire possent.

Cùm igitur hæc victoria a Cæsare Octaviano obtenta sit die secunda Septembris anni 723 Romani, seu XXXI ante æram vulgarem, his numeris addas 25, 26 & 27 (73), & habebis annos Urbis 748, 749 & 750, ante æram vulgarem VI, V & IV; periodi verò Julianæ 4708, 4709 & 4710, quibus Syriæ præfuit Varus, cujus triennio exeunte obiit Herodes Magnus, ut colligitur ex Josephi narratione.

Eo teste (74), *Quintilius Varus Saturnino suc-*

(73) Si inveniretur Vari nummus, ut adnotavit eruditus Vaillantius, ut n. 1, p. 199, cum anno 28, hic etiam cusus dici posset exeunte anno Romano 750 a Kalendis Januarii, ultimo Vari triennii, quo secunda Septembris revera iniit annus 28 Actiacus.

(74) Josephus, ut n. 67, cap. VII, p. 497.

successor missus est in Syriam, anno nempe 748 Romano, seu VI ante æram vulgarem, ut patet ex primo superiori nummo, & ejusdem Josephi Historiâ, ubi Herodis Magni obitus describitur anno Romano 750, seu IV ante æram vulgarem.

Ex Josepho (75) enim Antipater, Herodis filius, a Patre Romam missus est cum pretiosissimis muneribus & testamento, in quo Rex ipsum Antipatrum Regem declarabat. Ibi (76) plura, longa & graviora tractavit negotia: sed ipse apud Patrem (77) de cogitato structoque patricidio accusatus, Hierosolymam (78) rediit (anno circiter II Quintilii Vari), *Regiam enim domum ingressus*, teste Josepho (79), *ibi invenit Varum*, qui fortè per idem tempus Hierosolymis erat, tunc verò ab Herode in consilium de rebus agendis adhibitum. *Hic porro* (80) *Antipatro patricidii crimine convicto, surgens abiit e Con-*

(75) Id. ibid. cap. IV, p. 494.
(76) Id patet ex eodem Josephi libro XVII.
(77) Teste Josepho, ut n.67, cap. VI, p. 496.
(78) Teste eodem ibid. cap. VII, p. 497.
(79) Josephus ibid.
(80) Id. ibid. cap. VII, p. 500.

Concilio, & sequenti die Antiochiam Profectus est, ubi plurimùm solebat degere. Hæc namque verba clarè ostendunt Quintilium Varum jam a longo sat tempore Syriæ præesse.

Post Vari discessum, ait Josephus (81), *Herodes Antipatrum conjecit in carcerem, & Romam Cæsari de eo significavit per litteras, missis etiam qui coram eloquerentur mandata.* Per eosdem dies interceptæ sunt Antiphili ad Antipatrum ex Ægypto missæ literæ, quibus Acme, Judæa genere (82), & una ex ancillis Juliæ uxoris Cæsaris, ei significabat se voluntati ejus obsequutam, & litteras ad Herodem misisse, & insertum his exemplar fictitiarum Salomes litterarum ad suam Dominam, quæ insidias Herodi tenderent. Herodes, cognitâ filii malitiâ in concitandis turbellis cujuscumque generis, *legatos, & litteras accusatrices misit ad Cæsarem.*

Interea, eodem Josepho auctore, *dum legati (83) instructi mandatis ac litteris Romam properant, Rex, morbo correptus testamentum condidit.* Desperatâ deinde salute, quod jam ad

(81) Id. ibid.

(82) Id. ibid. p. 501.

(83) Id. ut n. 67, cap. VIII, p. 501.

ad ſeptuageſimum ætatis annum accederet, duo Interpretes patriæ legis præſtantiſſimi concitaverunt juventutem ut opera, quæ Rex præter patriam conſuetudinem fecerat, tollerent; & aquilam auream, quam ſuper majorem Templi portam dedicaverat, detraherent. *Hujus ſeditionis auctorem* (84) *ejuſque ſocios vivos exuſſit Herodes: in quam noctem etiam defectus lunæ incidit*. Hic Joſephus convenit quoque cum aſtronomicis tabulis. Teſte enim Petavio (85) anno 750 Romano, ſeu IV ante æram vulgarem, fuit revera defectio lunaris die XIII Martii, aut potiùs die XII (86), horis poſt meridiem antecedentis diei XI, ad meridianum Hieroſolymæ circiter 9 $\frac{3}{4}$ digitorum, præter propter 9.

Re-

(84) Id. Ibid. p. 502.

(85) Petavius, ut n. 1, lib. XIII, p. 661.

(86) Teſte Emman. a Schelſtrate *antiquit. Eccleſ.* tom. I, Diſſert. I, cap. II, art. I, p. 17., edit. Romæ MDCXCII, in fol. ubi ait: *Ego verò poſt accuratiſſimum calculum, a viro erudito hac de re initum, comperio duas hoc anno* (IV ante æram vulgarem) *eclipſes lunæ contigiſſe; priorem die* XII *Martii* (*& non* XIII, *ut aſſerit Petavius*) *horis poſt meridiem antecedentis diei* 11, *&c.*

Regi verò morbus, inquit Josephus (87), *factus est gravior*; pœnam (88) impietatis exigente numine. Ille tamen evasurum se sperabat, accersendis medicis intentus & medicamentis conquirendis undique. Profectus etiam ultra Jordanem fluvium, calidis aquis se fovebat apud Calliroen. Ibi de medicorum consilio immissus fovendus in refertum oleo solium, visus est illis jam agere animam. Hinc rursùm Hierichuntem reversus est, *& paulo post* (89) *supervenerunt a Roma litteræ a Legatis missis ad Cæsarem, quarum summa erat Acmen ab irato Cæsare occisam esse propter locatam Antipatro operam, ipsumque Antipatrum relinqui arbitrio & Regis & Patris*.

Has diversas circumstantias adnotare volui, ut certiùs judicare possis, quantum temporis effluxit a convicto Antipatro ad ejus necem. Iter enim Legatorum a Judæa in Urbem, rei pergravis tractatio, & Cæsaris judicii missio ab urbe Roma in Judæam, plu-

(87) Josephus, ut n. 67, cap. VIII, p. 502.

(88) Id. ibid. p. 503.

(89) Teste eodem Josepho ibid. cap. IX, p. 504.

rium mensium spatium necessariò ostendunt: unde non sine fundamento dicere possum Herodem mortuum anno tertio Vari legationis in Syria, seu anno XXVII Actiaco, quo cusum est tertium Vari numisma superiùs descriptum. Hic porro annus est 750 Romanus, quo, ex Josephi narratione, Herodes vitâ decessit, ut statim dicam.

Herodes, teste Josepho (90), *auditâ litterarum summâ paululum recreatus est, sed mox repetitus gravi dolore sese occidere voluit*, ac cultelli ictu perpetrasset facinus, ni Achiabus nepos ictum præveniens, clamore sublato cohibuisset ejus dexteram: moxque denuò luctus cum trepidatione ac tumultu occupavit palatium, quasi Rege jam agente animam. Strepitum persensit Antipater, & patrem vitam finisse credidit. Hinc spem concepit, & cum custode carceris de missione egit, multa & in præsens & in futurum post acquisitam potestatem pollicens. Sed custos conatus ejus nunciavit Regi, *qui exclamans præ indignatione jussit uni e satellitio, ut sine mora Antipatrum occideret.*

He-

(90) Id. ibid.

Herodes deinde, inquit Josephus (91), *mutatâ voluntate, mutavit etiam testamentum.* Antipam enim, quem prioribus tabulis regni successorem destinaverat, Galilææ simul ac Peraæ Tetrarcham constituit; regnum verò Archelao largitus, Trachoniticam (92), Gauloniticam, Bataneam & Paneada regiones Tetrarchiæ nomine assignavit Philippo filio, germano fratri Archelai. *His ita ordinatis quintâ die, postquam filium Antipatrum occidit, vitâ defunctus est, post detrusum regno Antigonum anno trigesimo quarto; ex quo autem a Romanis Rex declaratus est anno trigesimo septimo* (93), *vir in omnes ex æquo sa-*

(91) Josephus, ut n. 67, p. 504.

(92) Id. ibid. p. 505.

(93) Hæc eadem dicere voluit eruditus Vaillantius, ut n. 1, p. 198, sed peregrinante animo, nisi editionis Correctoris errore, omnia perturbavit, cùm, auctoritate Josephi, ut ait, scripserit Herodem obiisse anno 37 a detruso Antigono & 34 ex quo Rex a Romanis declaratus fuerat: & quod pejus est, subjungit Antigonum detrusum anno Romano 714, & Herodem a Romanis Regem salutatum anno Romano 717: ubi certè præter Auctoris intentionem, scriptum legitur 37 pro 34, 714 pro 717, 34 pro 37, & 717 pro 714.

ſævus, *iræ ſervus*, *juris Dominus*. Teſtamento lecto, acclamatum eſt Regi Archelao, qui curavit ut exſequiæ patri fierent quàm ſplendidiſſimæ, quique, *per ſeptem dies juxta patriam legem luctu parentis celebrato*, *in templum* aſcendit, ubi gratulatrices voces accipiens & pro iis gratias agens, ait tamen abſtinere ſe a Regis nomine, quod ab auctoritate & aſſenſu Cæſaris pendeat, penes quem ſit teſtamenti a patre ſcripti confirmatio.

Hinc, auctore Joſepho (94), Judæorum quidam, novarum rerum cupidi, deflentes Matthiam & ſocios, quos Herodes affecerat ſupplicio, *ſeditionem concitârunt in ipſo Paſchatis feſto*. Eos compeſcere placide conabatur Archelaus, *quod pararet profectionem ad Cæſarem*, ut ſententiam Cæſaris cognoſceret: ſed cum verbis placare non poſſet, *in eos* (95) *miſit exercitum*, *edixitque per præconem ut omnes in ſua diſcederent*, *unde illi*, *feſtivitate relictâ*, *abierunt*. *Tum Archelaus ad mare deſcendit*, *& Romam navigavit*.

He-

(94) Joſephus, ut n. 87, cap. 11, p. 506.

(95) Id. ibid. p. 507.

Herodes igitur obiit menſe Martio, aliquot tantum diebus ante Paſchatis feſtum, anni 750 Romani, 37 incœpto ex quo Rex a Romanis declaratus fuerat, 34 pariter incœpto a detruſo Antigono, tertio Vari legationis in Syria, 4710 periodi Julianæ, & IV ante æram vulgarem; quo anno Paſchatis feſtum celebratum eſt die IX vel X Aprilis (96). Si enim ab anno 4674 periodi Julianæ, quo Herodes Rex a Romanis declaratus eſt, ut dixi ſuperiùs Sectione I, numeres 37 annos, habebis annum 4710. Item ſi ab anno 4677 ejuſdem periodi Julianæ, quo Hieroſolyma capta & detruſus Antigonus, ut dixi ſuperiùs Sectione II, numeres 34 annos, habebis pariter annum 4710, ſeu IV ante æram vulgarem.

IV. Idem evincitur ex anno, quo deinde exulavit Archelaus. Hic, inquit Joſephus (97), ethnarchiâ ſuſceptâ, memor diſcordiæ ſuperioris, non ſolum Judæis, ſed etiam Sama-

 rien-

(96) Non vero die XXVIII Martii, ut negligenter ſcripſit Vaillantius, ut n. 1, p. 197.

(97) Joſephus, ut num. 67, *de bell. jud.* lib. II, cap. VI, p. 681.

rienſibus crudeliter abuſus eſt: *nonoque principatûs ſui anno Legatis contra ſe ab utriſque ad Cæſarem miſſis, ipſe quidem in exilium pellitur Viennam Galliæ civitatem; Patrimonium verò eius fiſco Cæſaris adjudicatur.* Alibi tamen Joſephus (98) ſcribit Archelaum in exilium miſſum *anno principatûs decimo*; proditque in vita ſua (99) patrem ſui ipſius Mathiam natum fuiſſe *anno decimo principatûs Archelai*, cujus rei teſtes appellat publicas tabulas. Unde ſat evincitur Archelaum regnaſſe novem annis completis, inito jam decimo. Porro ſi Judæorum more a Martio anni Romani 750 numeres decem annos, decimi initium habebis menſe Martio anni Romani 759, ſeu VI æræ vulgaris, Romæ Conſulibus Æmilio Lepido & Lucio Arruntio.

Id præciſè nos docet Dio (100), dicens: Marco Æmilio Lepido & Lucio Arruntio Conſulibus, *Herodes Palæſtinus* (Archelaus nem-

(98) Id. ibid. *antiq. Jud.* lib. XVII, cap. XV, p. 516.

(99) Id. ibid. *de vita*, p. 585.

(100) Dio Caſs. *Rom. Hiſt.* lib. LV, p. 347, edit. Baſileæ MDLVIII, in fol.

nempe) *a fratribus accusatus, trans alpes est relegatus, ac pars ejus ditionis in publicum redacta*. Cùm igitur Archelaus exulaverit anno 759 Romano, teste Dione, & decem annis incompletis a morte patris regnaverit, teste Josepho, evidens est Herodem Magnum obiisse anno 750 æræ Romanæ, seu IV ante æram vulgarem.

Jam exule Archelao, Imperator Augustus, teste Josepho (101), Senatorem Quirinium, virum Consularem, misit in Syriam ut jura populis redderet, facultatesque censeret omnium. Hic *in Judæam venit jam attributam Provinciæ Syriæ, ut percenseret facultates ejus regionis civium, & Archelai pecunias in potestatem suam redigeret*. Hic census, subdit Josephus (102), *incidit in annum trigesimum septimum post victum a Cæsare in Actiaca pugna Antonium*. Quod confirmat assignatum Archelai exilii annum. Cùm enim navalis apud Actium pugna commissa fuerit anno 723 Romano, die secundâ Septembris,

 an-

(101) Josephus, ut n. 67, lib. XVIII, cap. I, p. 517.

(102) Id. ibid. cap. III, p. 519.

annus inde XXXVII cœpit eadem die anni 759 æræ Romanæ, ſeu VI æræ vulgaris.

V. Eeodem anno, IV ante æram vulgarem, Herodis Magni mortem pariter evincunt Herodis Antipæ & Philippi, ejus filiorum, hiſtoria & numiſmata antiqua, teſtes vere coætanei, cùm iis tunc uterentur Judæi & Syri eorum vicini.

Primò quidem Philippi nummi, quorum iſtum, ex æræ medio, publici juris fecit eruditus Abbas Fontenus (103). In antica parte exhibetur caput Auguſti laureatum, lævam verſùs, cum epigraphe ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ, id eſt, *Cæſaris Auguſti*. In poſtica vero legitur: ΦΙΛ.. ΤΕΤΡΑΡΧΟΥ: circa templum, inter cujus columnas adſunt elementa L. ΛΓ (104), ideſt, *Philippi Tetrarchæ anno trigeſimo tertio*.

Opus eſt, ut videtur, non Judæorum, quibus vetabatur Principum effigies depingere, & mul-

(103) Fontenu *ſur une med. de Phil. le Tetrar.* edit. apud *Hiſtoir. de l'Acad. roy. des inſcrip.* t. III, p. 405, à Amſterdam MDCCXXXI, in 12.

(104) In icone Fonteniana malè ſcriptum eſt ΑΓ pro ΛΓ Scalptoris errore. Vide tab. IV.

& multò magis templa eorum frequentare: sed Syrorum, Cæsaream Philippi incolentium, qui in eo caput Augusti, templum in ejus honorem ad Panium ab Herode Magno antea conditum, & annum ab Actiaca victoria (105) more suo (106) exhibuerunt.

Annus porro XXXIII Actiacus iniit secundo Septembris anni secundi æræ vulgaris, & exiit eodem die anni tertii, fuitque VI Tetrarchiæ Philippi. Philippus enim, auctore Jo-

(105) Epocha, cujus annus XXXIII in nummo obsignatur, alia esse non potest præter Actiacam, quæ initium ducebat a secundo Septembris anni 723 Romani, seu XXXI ante æram vulgarem. Cùm enim nummus cusus fuerit Imperatore Augusto & Tetrarcha Philippo, quorum nominibus insignitur, annus XXXIII numerari potest nec ab epocha Seleucidarum, cujus, primis Tetrarchiæ Philippi annis, jam currebat IV seculum; nec ab æra Pompeiana, cujus tunc erat annus circiter LXX; nec ab epocha Julii Cæsaris, cujus jam numerabatur annus ad minus quinquagesimus; nec a condita Cæsarea, cujus anno XVI obiit Augustus; nec tandem a Philippi principatu, cujus, moriente Augusto, numerabatur tantum annus circiter XVIII.

(106) Syri Antiochenses, ut jam dixi superiùs Sectione III, & ostendam infra Corollario V, Seleucenses & alii, annos, imperante Augusto, a victoria Actiaca computabant.

Josepho (107), *obiit anno Tiberii principatûs vigesimo, cum ipse præfuisset triginta septem annis Trachonitidi, & Gaulanitidi ac Battanaa*. Anno XXXIII æræ vulgaris, die XIX mensis Augusti, Tiberius annum Imperii vigesimum iniit, eumque explevit eodem die anni sequentis XXXIV. Obiit igitur Philippus inter Augustum anni XXXIII & Augustum anni XXXIV, annusque ejus Tetrarchiæ XXXVII iniit mense Martio anni XXXIII aut XXXIV. Si inierit anno XXXIII, primus Tetrarchiæ annus cœpit anno IV ante æram vulgarem; si vero annus XXXVII inierit mense Martio anni XXXIV æræ vulgaris, primus Tetrarchiæ annus cœpit anno III ante eamdem æram. Igitur Herodes Magnus obiit anno IV, aut anno III ante æram vulgarem: sed quia ex nummis Herodis Antipæ, infra describendis, patet eum obiisse ante annum III, anno IV obiisse dicendus est.

Rursus, si ab anno Actiaco LXIV, currente cum Tiberii principatûs XX, quo obiit Philippus, retro numeres XXXVII ejus Tetrar-

(107) Josephus, ut n. 67, lib. XVIII, cap. VI, p. 526.

trarchiæ, annum habebis Actiacum XXVII: annus igitur Actiacus XXXIII, Philippi nummo obsignatus, fuit VI ejus Tetrarchiæ. Cum autem annus XXXIII Actiacus inierit anno secundo æræ vulgaris, manifestum est Philippum principatum iniisse anno IV ante eamdem æram, eodemque anno obiisse Herodem Magnum.

Secundò, vetus Herodis Antipæ nummus ex ære parvo, in Gazophylacio Clementis XIV, Pontificis Maximi, asservatus, cujus occasione hæc scribo, signatus fuit anno XLIII Herodis. Hic enim in antica parte exhibet coronam lauream, intra quam græcè legitur ΓΑΙΩ ΚΑΙCΑΡΙ-ΓΕΡΜΑΝ. Id est, *Cajo Cæsari Germanico Augusto*; & in postica cernitur palmæ ramus cum epigraphe ΗΡΩΔΗC ΤΕΤΡΑΡΧΗC L. ΜΓ: Id est, *Herodes Tetrarcha anno quadragesimo tertio* (*a*). Vaillantius, celeberrimus numismatologus, alterum fere consimilem edidit, sed in aversa facie loco L. ΜΓ, legitur L. ΜΔ, id est, *anno quadragesimo quarto* (*b*).

Qua-

(*a*) Vide tab. III.

(*b*) Vide eamdem tab.

Quatuor igitur & quadraginta annis Tetrarcha fuit Herodes Antipas. Hic porro perpetuo exilio apud Lugdunum urbem Galliæ, a Caio Caligula, Romanorum Imperatore, damnatus eſt, teſte Joſepho, qui fuſiori calamo rem ita narrat.

Imperante Tiberio, Agrippa (108) Ariſtobuli filius, ac Herodis Magni nepos, patruo Herodi Antipæ infenſus (109) quod ſibi apud Tyrum in convivio, cùm largius indulſiſſent poculis, paupertatem exprobraſſet, ad Flaccum, virum Conſularem, & tùm Syriæ Præſidem primùm ſe contulit, & deinde in Italiam navigavit. Ibi a Caio (110), deinde Imperatore, in intimam amicitiam receptus, die quodam dùm unà vehitur curru, incidit in confabulationem de Tiberio; & quia ſoli erant, precatus eſt Tiberio, ut quamprimùm principatûs locum Caio digniori cederet. Quibus ad Imperatorem ab auriga delatis, Agrippa in vincula dejicitur ſub cuſtodia.

Mortuo autem Tiberio, Caius, ejus ſucceſ-

(108) Id. ibid cap. VII, p. 527.

(109) Id. ibid, cap. VIII, p. 528.

(110) Id. ibid. p. 529.

ceſſor (111), nimium ſui cultorem Agrippam non ſolum e cuſtodia eripuit, ſed capiti ejus diadema impoſuit, Tetrarchiæ, quæ Philippi fuerat, Regem conſtituit, adjectâ Lyſaniæ Tetrarchiâ, & pro ferrea catenâ dedit ei auream pari pondere. *Altero deinde anno principatûs Caii Cæſaris, Agrippa petiit veniam navigandi in ſuum Regnum, ordinandi ejus gratiâ, reverſurum ſe eo peracto pollicitus.*

In Judæam pervenit æſtate jam declinante anni XXXVIII æræ vulgaris, ſecundi Caii Imperatoris. Rex enim, teſte Philone (112), a Caio monitus *ne Brunduſio ſolveret, petiturus Syriam, quod ea navigatio longa eſſet ac difficilis; utereturque potiùs compendiariâ per Alexandriam, expectatis eteſiis . . . paruit ut Domino conſulenti utilia.*

Herodias autem (113), Agrippæ Soror ac Herodis Antipæ Uxor, femina ambitioſi animi,

(111) Id. ibid. p. 534.

(112) Philo *omn. quæ exſtant oper.* lib *in Flaccum* p. 968, edit. Lutetiæ Pariſ. MDCXL, in fol.

(113) Teſte Joſepho, ut n. 67, lib. XVIII, cap. IX, p. 534.

mi, regiam fratris dignitatem ægrè ferebat, quod eum in celsiore quàm maritum cerneret fastigio. Hinc non poterat imperare suis affectionibus ut maritum modò rogans, modò etiam socordiam exprobans, ad similia speranda, & susceptâ transmarinâ peregrinatione apud urbem ambienda erigeret: negans sibi vitam ferendam diutiùs, si Agrippa Aristobuli, a patre supplicio traditi, filius, & ob extremam inopiam metu creditorum profugus, reversus regno fruatur: ipse verò filius Regis, & a cognatis ad Regnum invitatus, per desidiam nihil tale affectaret, privatâ vitâ contentus.

Ast Herodes resistebat (114) tum quietis amore, tum quia suspecta habebat Romana negotia; unde conabatur (115) eam in diversam sententiam traducere: verùm cum molestiorem in dies uxorem pateretur, eidem morem tandem gerere coactus, sine parsimonia facto apparatu exquisitissimo, unà cum Herodiade Romam proficiscitur.

Agrippa, ait Josephus (116), cognitâ He-

(114) Ex eodem ibid.

(115) Teste eodem ibid. p. 535.

(116) Josephus ibid.

Herodis mente, quamprimùm e portu eum ſolviſſe didicit, etiam ipſe Romam miſit Fortunatum, Libertum ſuum, ad Imperatorem cum muneribus & litteris contra Herodem; *ſimulque mandavit ut per occaſionem amplius cum Principe ſuper hoc negotio diſſereret*. Unà fere Puteolos uterque appulit, *& Caius tum forte Baiis in Campania* erat. Itaque Imperator, ab Herode ſalutatus, Agrippæ perlegit litteras, accuſantes Herodem, quòd priùs cum Sejano conſpiraſſet in Tiberium, & nunc iterum Artabano partho faveret contra Caii novum imperium. Argumento erat ipſius Tetrarchæ apparatus, qui in armamentariis ſuis haberet tantum armorum, quantum inſtruendi virorum ſeptuaginta millibus ſufficeret. *Quâ re Cæſar commotus, percontatus eſt Herodem, vera ne eſſent quæ nunciarentur de armorum numero. Quo annuente, ſatis approbatam putans defectionem, ademptam illi Tetrarchiam ad Agrippæ Regnum adjecit, pecuniam quoque ejus donans Agrippæ indici. Herodem verò perpetuo damnavit exilio apud Lugdunum, urbem Galliæ*.

Antipas igitur ex Tetrarchia ſua dimotus

eſt

eſt ante Caligulam mortuum ineunte anno XLI æræ vulgaris ; immò ante autumnum anni præcedentis . Hujus enim anni XL menſe Septembri Agrippa , Caium Caligulam Baias comitatus , ait illi , teſte Philone (117) , *donaſti mihi Regnum , quâ ſorte nulla inter mortales felicior . Id cum priùs unam regionem non excederet , adjunxiſti mihi mox majorem alteram , Trachonitim & Galilæam* . Unde evidenter patet quod tunc Agrippa , Herode Tetrarchâ exulante , acceptam antea a Caio Galilæam poſſidebat .

Anni igitur XLIV Tetrarchiæ Herodis Antipæ , veteribus ejus nummis obſignati , effluxerunt a morte patris Herodis Magni ad annum currentem XL æræ vulgaris , ſeu 793 Romanum , cujus menſe Septembri jam exulabat Antipas . Porrò ſi Judæorum more a Martio anni 750 Romani numeres XLIV annos , XLIV initium habebis menſe Martio anni 793 . Ergo Herodes Magnus obiit poſt initum Martium anni Romani 750 , ſeu 4710 periodi Julianæ , qui eſt IV ante æram vul-

(117) Philo , ut n. 112 , lib. *de legat. ad Caium* , p. 1037 .

vulgarem: non autem ante, quia ſic invenire non liceret annos ſaltem inchoatos XXXVII Regni ejus ex quo Judæorum Rex a Romanis declaratus fuerat; nec etiam poſt, quia ſic Herodes Antipas non potuiſſet attingere initium anni XLIV Tetrarchiæ ſuæ.

Iis igitur prænarratis, inquirendum eſt num contra aſſignatum mortis Herodis Magni tempus quid valeant argumenta opinioneſque Chronologorum & aliorum, qui aliter ſentiêre.

COROLLARIUM I.

Errat Keplerus ſcribens Herodem Magnum a Romanis Judææ Regem declaratum fuiſſe hieme anni XL ante æram vulgarem.

REctè quidem cenſet Keplerus Herodem Magnum Judææ regnum a Romanorum Senatu obtinuiſſe anno Romano 714, ſeu XL ante æram vulgarem, ſed perperam ſcribit (118) Marcum Antonium & Cæſa-

D

(118) Keplerus *de natal. Chriſti* cap. VIII, apud Noriſium, ut infrà n. 121, col. 120.

ſarem circa æquinoctium vernum Romam veniſſe, ac Herodem Regem factum primo quadrante anni VI Juliani, ſeu XL ante æram vulgarem, cum æſtate ſequenti exſpectaretur Olympias 185.

Idem cogitaſſe videtur Montacutius (119), dum annum Romanum 717, menſe Junio, quartum vocat Regni Herodis.

Haud dubiè iis erroris cauſa fuit Flavius Joſephus, dum ſcribit (120) Herodem regium faſtigium adeptum eſſe *Domitio Calvino iterùm & Caio Aſinio Pollione Conſulibus, Olympiade centeſimâ octogeſimâ quartâ*: quia Olympias hæc exiit anno XL ante æram vulgarem menſe Julio, iniitque Olympias 185. Verùm hîc Joſephus aut Olympiades inchoavit ab Octobri, quod Syris in uſu fuiſſe quidam ſentiunt (121), aut, aſſignato anno conſulari pro charactere Chronologico, minus

(119) Montacutius *in apparatu V*, num. 10, apud Noriſium, ut infrà n. 121, col. 121.

(120) Joſephus, ut n. 67, lib. XIV, cap. XXVI, p. 424.

(121) Teſte Henric. Noriſio *Oper. omn.* tom. III, *Cenotaph. Piſan.* Diſſert. II, cap. VI, col. 222, edit. Veronæ MDCCXXIX, in fol.

nus diligenter addidit Olympiadem currentem initio anni consularis quo utitur, vel initio anni sacri Judæorum, a quo Herodis regni annos numeravit. Sic, qui æram vulgarem tamquam veram admiserunt, vulgò scripserunt Christum natum esse anno primo ante æram vulgarem, seu ab Urbe conditâ 753, die XXV Decembris, Consulibus Lentulo & Pisone, licet jam anteà iniisset anno ab Urbe conditâ 754. Quemadmodum enim isti diligenter tantùm attendunt ad annum ante æram vulgarem, addito anno Romano currente initio assignati anni ante æram vulgarem, ita Josephus diligenter indicato anno Romano Consulum nominibus, cum paulò minori diligentiâ subjungere potuit Olympiadem, currentem initio illius anni.

Quod autem res ita sit, illud invictè forsan probabo, duce Eminentissimo Norisio, qui omninò ostendit Herodem Magnum a Senatu Romano Judææ regnum obtinuisse anno XL ante æram vulgarem, seu 714 Romano, exeunte circiter Septembri.

Anno enim XLII ante æram vulgarem, ut rem altiùs repetam, seu 712 æræ Romanæ, Consulibus Marco Æmilio Lepido iterùm &

Lucio Munatio Planco, pugnatum est apud Philippos, victisque Bruto ac Cassio, Romani orbis imperium Triumviri inter se partiti sunt.

Hocce autem prælium Philippense exeunte autumno fuisse commissum colligitur ex Plutarcho, qui narratâ Cassii clade ac morte, de militibus Antonii & Cæsaris Octaviani, antequam postremo prælio cum Bruto confligerent, scribit: *Ex castrorum* (122) *concavitate asperrimam hiemem expectabant; paludibus etiam impliciti, præterea post pugnam autumnalibus pluviis copiosi, limo omnia contubernia impleverant, aquâque, quæ ex frigore in glaciem densabatur*. De iisdem ait etiam Appianus (123): *appetente hieme quoque molestâ, in planicie cœnosâ manentibus, &c.* Deinde, victo etiam Bruto, Cæsar in Italiam agros militibus divisurus, transmisit; Antonius verò in Græciam descendens, Athenis hiemavit, teste Plutarcho (124).

Anno insequenti, XLI ante æram vulgarem,

(122) Plutarchus *in Bruto* apud Norisium ibid. col. 211.

(123) Appianus lib. IV, p. 660, apud Norisium ibid.

(124) Plutarchus *in Antonio*, apud Norisium ibid.

rem, seu 713 æræ Romanæ, Publio Servilio & Lucio Antonio, Triumviri fratre, Consulibus, Marcus Antonius, auctore eodem Plutarcho (125), *vere appetente, Lucio Censorino Græciæ Præfecto, ipse in Asiam transmisit*. In Bithyniam primùm advectus, teste Josepho, *omnium gentium* (126) *legationes habuit obviam. Aderant & Judæorum primates, Phasælum & Herodem accusaturi, quasi in speciem solum regnaret Hyrcanus, re autem verâ tota potestas esset penès hos fratres. Herodem verò Antonius in magno honore habuit, qui ad objecta diluenda venerat, quo factum est, ut ne ad colloquium quidem adversarios ejus admiserit*.

Ex Appiano (127), dum Antonius *per æstatem* in Phœnicia, quæ una Provinciarum Syriæ est, moraretur, L. Cocceium ac Cæcinam Cæsaris legatos excepit. Interim exactis totâ Asiâ ac Syriâ tributis, relicto in Asia L. Munatio Planco, in Syria vero

 L. De-

(125) Plutarchus ibid.

(126) Josephus, ut n. 67, lib. XIV, cap. XXII, p. 417.

(127) Appianus *de bell. civ.* lib. V, p. 706, apud Norisium, ut n. 121, col. 213.

L. Decidio Saxâ, *militibus* (128) *per hiberna distributis, in Ægyptum post Cleopatram profectus est, a qua exceptus splendidè, hiemavit ibi sine insigniis Imperii.*

Dum hæc in Asia ab Antonio geruntur, Cæsar in Italia agros militibus dividebat, unde ingentes tumultus totâ passim Italiâ erupêre. Eos bellum inter Lucium Antonium, Consulem, & Cæsarem Octavianum circà autumnum consequutum est. Lucius Antonius, plerisque frustrà tentatis, Perusiam tandem se recepit. Cæsar eum statim insequutus, triplici exercitu Urbem cinxit. Obsidium per hiemem protractum est: Urbs enim in collibus sita, ac numerosis copiis munita, nisi fame expugnari poterat. Lucius Antonius, teste Appiano (129), *nocte quæ Kalendas Januarias præcedit*, eruptione factâ, castra Cæsaris aggressus, cum multa suorum clade repulsus est. Nonnisi igitur anno insequenti dedita est Perusia.

Ineunte hoc anno, XL ante æram vulgarem, seu 714 Romano, jam inccœpto ab au-

(128) Appianus ibid p. 677, apud eumd. ibid.
(129) Id. ibid. p. 689, apud eumd. ibid.

autumno, Consulibus Domitio Calvino II & Caio Asinio Pollione, Lucius Antonius ciborum inopiâ deditionem facere coactus est. Cæsar Lucii Antonii militibus, auctore eodem Appiano (130), *hiberna designavit oppida, simulque qui eos deduceret*. Idem paulò ante scripserat: Lucius Antonius Consul *Perusiam* (131) *ideò venerat, ut, si opus esset, in Urbe munitâ hiemaret, donec Ventidius veniret cum sociis*. Obsessa igitur est Perusia anno XLI ante æram vulgarem, instante hieme, & dedita ineunte anno insequenti, antequam hiems exiret.

Dum hæc in Italia gerebantur, Labienus, qui ex clade Philippensi ad Parthos fugerat, auctor fuit Orodi, eorum Regi, ut Italiâ bello civili inter Cæsarem Octavianum & Lucium Antonium flagrante, Marco Antonio verò in hibernis Ægypti voluptatibus turpi socordiâ indulgente, Syriam occuparet. Hinc Parthi, Pacoro Regis filio ac Labieno Ducibus, Syriam aggressi appetente vere, nullò negotio universam, exceptâ Tyro, subege-

(130) Id. ibid. p. 699, apud eumd. ibid.

(131) Id. ibid. p. 689, apud eumd. ibid. col. 214.

gerunt, divisisque copiis Labienus in Asiam, Pacorus verò in Palæstinam movit, teste Dione (132).

Scribit autem Josephus (133) hanc Parthorum in Syriam irruptionem contigisse *altero anno* a Marci Antonii in Asiam adventu. Porro, ut jam ostendi, Antonius anno XLI ante æram vulgarem e Græcia in Asiam transmiserat, ac anno colligendis tributis consumpto, Alexandriam, hieme instante, perrexerat. Parthi igitur Syriam invaserunt anno XL ante æram vulgarem, seu 714 Romano, mense circiter Martio. Hinc Plutarchus cùm narrasset ludos, convivia, cæterasque voluptates, quibus Marcus Antonius per hiemem apud Cleopatram indulserat, subjungit: *ejusmodi rebus* (134) *intento Antonio, duo Nuntii eodem tempore afferuntur; alter, quo certior factus est Lucium fratrem & Fulviam uxorem primò inter se diffidentes, deinde cum Cæsare pugnantes, amissis re-*

(132) Dio, ut n. 100, lib. XLVIII, p. 229.

(133) Josephus, ut n. 67, lib. XIV, cap. XXIII, p. 419.

(134) Plutarchus *in Antonio*, apud Norisium, ut n. 121, col. 214.

rebus, Italiâ pulsos; alter, Labienum Parthorum Ducem, omnem Asiam ab Euphrate & Syriam, & Lydiam & Joniam occupasse narrabat.

Marcus Antonius, tanto armorum fragore excitus, inquit Appianus, *verno tempore* (135) *Alexandriâ Tyrum profectus est*; ubi cùm accepisset Asiaticas provincias in Parthorum potestatem venisse, Italicum bellum prætexens, Athenas navigavit, ut cum Sexto Pompeio, magni filio, qui Siciliam cum instructissima classe tenebat, belli adversùs Cæsarem societatem iniret, illatasque Lucio fratri apud Perusiam injurias ulcisceretur.

Interea, ut ex Josepho patet, Palestinæ Hyrcanus imperabat, omnia tamen unius Herodis, ejusdem generi, arbitrio gerebantur: quod ægrè ferens Antigonus, cujus pater Aristobolus Judææ regno quondam a Pompeio privatus fuerat, Parthos totâ Syriâ victores, ingentium præmiorum promissis allectos, in Palæstinam accivit, ut eorumdem operâ Paternum regnum recuperaret. Paco-

(135) Appianus *de bell. civ.* lib. v., p. 701, apud Norisium ibid.

corus cùm sciret Hyrcanum Romanorum partibus studere, cum duplici exercitu in Judæam statim venit, ut dejecto Hyrcano, Antigonum regno præficeret. Antigonus cum copiis, quas privatâ pecuniâ collegerat, Hierosolymam movit, atque a Civibus, Herodis regimen perosis, intrà Urbem admissus est: regiam tamen non occupavit, quòd & situ munita, & valido milite instructa, ab Herode tenebatur. Pacorus exercitum procul ab Urbe castra metari jussit, expectans, ait Josephus (136), *conventuras e tota regione turbas ad Pentecosten, quam vocant, festivitatem, quæ dies postquam illuxit, multa hominum millia circà templum congregata sunt, tam armatorum quam inermium*. Pentecostes igitur tempore anni XL ante æram vulgarem, Hierosolymis adhuc erat Herodes, qui tunc, subjungit Josephus, *cum suorum cohortibus erupit in hostem agentem in suburbio*.

Paulò post Pacorus, ut patet ex eodem Josepho (137), prætextu seditionis componen-

(136) Josephus, ut n. 67, lib. XIV, cap. XXIV, p. 420.

(137) Id. ibid.

nendæ, partem exercitûs Urbi admovit, ac Hyrcanum in colloquium amicè venientem, ac nullos dolos veritum, specie legationis ad Barzapharnem ducit, qui cum altero exercitu longiùs Hierosolymam substiterat. Hyrcanus ubi in castra venit in vincula conjicitur (138), ac Antigonus Judæis Rex statim imponitur. Herodes, qui in Regia remanserat, Hyrcani captivitate intellectâ, Hierosolymis relictis suos secum milites cum familia ducens, Massadam munitissimum oppidum se recepit: eodem verò valido præsidio ac copioso commeatu instructo, quò obsidium diutiùs protraheret, si eò Antigonus cum exercitu venisset, magnis itineribus in Arabiam ad Malchum Regem Nabatæorum, pluribus sibi beneficiis obstrictum, perrexit. Verùm a Malcho jussus Regni finibus excedere, in Ægyptum iter intendens, venit Rhinocuram, inde Pelusium: ubi a nautis Alexandriam navigaturis exclusus, a Magistratu ejus Urbis summo cum honore in Ægypti regiam deductus fuit. Cleopatra eum Alexandriæ detinere conata est; *haud ta-*

(138) Teste Josepho ibid. cap. xxv, p. 421 & seqq.

tamen, ait Josephus (139), *efficere potuit ne Romam properaret procelloso* (140) *licet tempore, & parùm tranquillis, ut nuntiabatur, rebus Italiæ. Solvens igitur inde versùs Pamphyliam, & cum gravi tempestate conflictatus, ægrè in Rhodum evasit, jacturâ etiam Sarcinarum factâ.*

In Italia autem Cæsar Octavianus, cùm accepisset Marcum Antonium in Græciam venisse, veritus ne idem inito cum Sexto Pompeio fœdere, bellum sibi renuntiaret, animum induxit Fulvii Caleni, qui Antonii nomine Galliam ac Hispaniam tenebat, legiones suas in partes trahere. Dum cunctatur, honestam occasionem perficiendi consilii expectans, Calenus Legatus morbo absumitur, ac Cæsar properè in Galliam profectus,

(139) Josephus ibid. p. 423.

(140) Hic Josephi interpres scripsit *licet hiberno tempore*, sed minùs benè; vox enim Græca *Cheimonos*, qua utitur Josephus, tum *hiemem*, tum *maris procellam* promiscuè significat, eoque in loco *hiemem* nullo pacto designare potest, ut jam adnotavit eruditissimus Anton. Pagius *Critica Historico-chronol.* t. I, *Apparat. Chronol.* p. 16, edit. Antuerpiæ MDCCV, in fol. & ut fusiùs dicam infrà Corollario IV.

ctus, Antonianas legiones sibi adjunxit, simulque Galliam ac Hispaniam, quæ hùc usque Antonii legato paruerant, occupavit. Antonius hisce intellectis, cum Sexto Pompeio contra Cæsarem conspirans, cum classe in Italiam venit, ac statim Sipuntum cepit; inde Brundusium copias admovit, & Urbem terrâ marique obsedit, testibus Dione (141) & Appiano (142).

Cæsar Sexti Pompei amicitiam quæsiverat, ne cum duobus hostibus unà simul bellum gerere cogeretur: at cum Pompeius nullas pacis conditiones admitteret, inquit Dio (143), *Marco Vipsanio Agrippæ bellum contra eum gerendum injunxit, ipse verò in Galliam profectus est: quâ re cognitâ Pompeius, observato eo tempore, quo Apollinaribus ludis exhibendis occupatus erat Agrippa, (Præturam enim tunc gerens, ac præcipuus amicus Cæsaris, splendidè omnia agebat, ludosque inter cætera equestres biduo præbebat, & Trojam vocatum ludum per nobiles pueros magni-*

(141) Dio, ut n. 100, lib. XLVIII, p. 230.
(142) Appianus *de bell. civ.* lib. V.
(143) Dio, ut n. 100, lib. XLVIII, p. 227.

gnificè exercebat) *in Italiam transmisit*, *ac tamdiù in ea prædas agendo commoratus est*, *donec Agrippa adveniret*. Etenim Antonius contractâ societate cum Sexto Pompeio, auctor eidem fuerat, ut classe eductâ, Italiæ maritima infestaret, dum interim ipse in altera Provinciæ parte Brundusium obsidio premebat.

Ad Herodiani Regni initium rectè consignandum insignis est character, quem Dio eo loci, hujus belli civilis tempus designans, nobis suppeditat, quemque Eminentissimus Cardinalis Norisius (144) primùm observavit. Ex collatis enim testimoniis Macrobii, Dionis & Tullii demonstrat eruditissimus Cardinalis ludos Apollinares factos fuisse *IV idus Julias*, ac posteà decretum, ut natalitia Cæsaris eo die celebrarentur. *Ludis Apollinaribus*, scripsit Livius (145) *ante diem quintum idus quintiles Cælo sereno interdiù obscurata lux est*, *cùm Luna sub orbem Solis subisset*. In veteri Kalendario, a Lambecio publicato, *III non. Julii* signantur ludi Apolli-

(144) Norisius, ut n. 121, col. 217.

(145) Tit. Livius *Hist.* tom. IV, lib. XXXVII, cap. IV, p. 289, edit. Parif. MDCLXXXII, in 4.

linares; dein *IV idus Julii Cæsaris natalis*; & statim *III id. ludi Apollinares*. Habemus itaque ex Dione, Agrippam Prætorem anno Romano 714, seu XL ante æram vulgarem, mense Julio, dimidiâ sui ferè parte, exacto, *circa ludos Apollinares occupatum*, quo tempore Sextus Pompeius Thurios & Cosentiam obsedit; Antonius verò Brundusium, militari coronâ vallatum, premebat.

Cæsar Octavianus, novis Legatis Galliæ & Hispaniæ impositis, in Italiam venit, statimque jussit Agrippæ, ut contra Pompeium copias duceret, ipse verò contra Antonium movit, ac propè ejusdem vallum castra metatus est. Agrippa Sipuntum levi negotio recepit: Pompeius verò a Thuriis repulsus, Cosentiæ obsidium continuabat. Antonius diuturnioris obsidionis impatiens, machinas dejiciendis mœnibus parabat, nec Cæsari ulla spes erat munitiones Antonii superandi. Hæc mense Septembri contigisse nullus inficias ibit. Nam Cæsar antequam Brundusinum in agrum veniret, *Canusii*, teste Appiano (146), *per aliquot dies corpore lan-*

(146) Appianus *de bell. civ.* lib. v, p. 704, apud Norisium, ut n. 121, col 220.

Languens decubuerat. Intereà utriusque partis milites molestè ferre cœperunt Ducum ambitione, mutuisque suspicionibus Italiam civilibus armis devastari, colloquia de componendis mutuo fœdere Imperatoribus miscere, pacem publicè loqui, suam in bello operam negare. Tùm Lucius Cocceius, Cæsari ac Antonio ex æquo pergratus, ultrò citròque ad eosdem commeans, pacem tandem inter utrumque certis quibusdam conditionibus conciliavit. Antonius Ventidio in Asiam adversus Parthos ire jusso, unà cum Cæsare in Urbem profectus est.

Hæc ubi Romæ audita sunt, Senatus utrique triumviro ovationem decrevit, quod pacem fecerat, ut patet ex fastis Capitolinis, in quibus legitur:

IMP. CAESAR DIVI F.C.N. III VIR R.P.C. OVA...
QUOD PACEM CUM M. ANTONIO FECIT.

M. ANTONIUS M.F.M N. III VIR R.P.C. OVA...
QUOD PACEM CUM IMP. CAESARE FECIT.

Revera quidem malo Chronologiæ fato, annum & dies, quibus ovantes Antonius & Cæsar Urbem ingressi sunt, temporis injuria abrasit; annum tamen Romanum 714, seu XL an-

ante æram vulgarem, rectè colligit Norisius (147) ex triumpho Lucii Censorini, qui in iisdem tabulis postea sic recitatur:

L. MARCIVS L. F. C. N. CENSORINVS COS.
EX MACEDONIA K. JAN.

Anno enim Romano 715, seu XXXIX ante æram vulgarem, Marcius Censorinus die Kal. Januarii, quâ Consulatum capessivit, triumphum pariter egit. Igitur ovatio Antonii anno superiori, currenti nempe, contigerat.

Rursus circa finem Septembris utrumque Imperatorem Romam ovantem intrasse, non obscurè demonstrant res de brevissimo illo bello a Romanis Scriptoribus narratæ. Bellum enim eruperat circa dimidium Julii; Agrippâ *ludis Apollinaribus* occupato, ac Cæsare Galliæ & Hispaniæ statum Româ procul disponente: qui cùm ex Gallia revertisset, ac contra Antonium legiones duceret, iisdem, quòd contra suum dudum Imperatorem pugnare recusarent, castra deserentibus, alium exercitum accire coactus fuit. Dein per aliquot dies ægrotavit, antequam

 pro-

(147) Norisius, ut n. 121, col. 110.

propè Antonium caſtra metaretur. Ad hæc apud Brunduſium geſta vix bimeſtri ſpatio unà cum ſuperioribus contingere potuerunt: unde vel exeunte Septembri, vel ineunte Octobri, uterque Imperator ac triumvir Romam ovantes rediêre, ac non modò Urbem, verùm etiam Italiam univerſam ingenti lætitiâ affecerunt.

Dum hæc in Italia geruntur, Herodes inſtructâ apud Rhodum triremi *in Italiam Brunduſium appulit*, ait Joſephus (148): *inde Romam profectus, ante omnes Antonio denarravit ea quæ ſibi in Judæa contigerant, & quod Hyrcanus apud Parthos captivus detineatur, & quod Antigonum Regem conſtituiſſent*, ſe autem per procellas ad ipſum navigaſſe, a quo afflictæ, atque tùm ab hoſte obſeſſæ familiæ meliora fata ſperaret. Antonius, teſte Joſepho (149), amici vicem dolens, ſimulque indignatus Antigonum, Parthorum copiis inſtructum, Judæam invaſiſſe, re cum collega triumviro communicatâ, communi con-

(148) Joſephus, ut n. 67, lib. XIV, cap. XXV, p. 423.

(149) Id. ibid. cap. XXVI, p. 425.

consilio decreverunt, Herodem Judæorum Regem per Senatum designare. Itaque convocatis patribus, Regnum Palestinæ Herodi Senatûs-consulto delatum est. Non igitur ante mensem Septembrem anni 714 Romani, seu XL ante æram vulgarem, Herodes a Romanis Judææ Regnum obtinuit, ut evidenter patet ex narratis, quæ mihi suppeditavit Eminentissimus Norisius.

COROLLARIUM II.

Errat Calvisius scribens Herodem Magnum a Romanis Judææ Regem declaratum fuisse adulto vere anni XL ante æram vulgarem.

ID probare hîc non intendo. Cùm enim ex superiori Corollario I, omninò constet Herodem Judææ Regnum a Romanis non obtinuisse ante mensem Septembrem ejusdem anni XL ante æram vulgarem, inde evidenter patet id non contigisse adulto vere illius anni, ut putavit Sethus Calvisius (150), eruditus aliàs Chronologus Germanus.

(150) Seth. Calvisius, apud Norisium, ut n. 121, col. 222.

COROLLARIUM III.

Errat Torniellus scribens Herodem Magnum a Romanis Judææ Regem fuisse declaratum anno XXXIX ante æram vulgarem.

REV. Pater Torniellus, eruditus Congregationis Sancti Pauli Clericus Regularis, extra veram Chronologiam abiens, perperam existimavit Herodem Magnum a Senatu Romano regiam dignitatem fuisse consequutum anno XXXIX ante æram vulgarem, verno tempore, seu exeunte anno primo Olympiadis 185.

Cogimur quoque, inquit (151), *ponere Consulatum Calvini & Pollionis in annum primum Olympiadis centesimæ octogesimæ quintæ. Quod autem sub anni hujus Olympici finem* (currente XXXIX ante æram vulgarem) *Herodes declaratus sit Rex Judæorum, inde fit clarum, quod annus Olympicus terminari solebat in media æstate, hoc est, circa solstitium æstivum: Herodem verò tempore veris regiam obtinuisse dignitatem, satis evidenter colligi potest*

(151) Torniellus, ut n. 46, ann. 4014, num. 5, p. 542.

test ex Josepho, qui decimo quarto Antiquit. capitulo 25, describens ea quæ Herodi Romam proficiscenti acciderunt, narrat ipsum biberno tempore ab Alexandria solvisse; & gravi jactatum tempestate, amissis sarcinis, ægrè Rhodum pervenire potuisse: indeque postmodum, fabricatâ instructâque magnâ triremi, Italiam versùs navigantem, applicuisse Brundusium, ac tandem venisse Romam. Unde manifestum fit eumdem Herodem non potuisse tam longam adeòque difficilem navigationem unius aut duorum mensium intervallo conficere; præsertim, cum postremam hiemis partem in insula Rhodo, tum ad vitandas tempestates, tum ad triremem exstruendam, atque instruendam, trans egisse dubium non sit, nec inde, nisi apropinquante vere, aut circà ipsius veris initia, solvere valuisse: ac demùm nonnisi inchoante circiter mense Aprili, vel non multò post, Romam pervenisse, & consequenter, ut diximus, non longè admodùm ab exitu anni Olympici regiam dignitatem fuisse consequutum. Igitur si verno tempore anni primi Olympiadis centesimæ octogesimæ quintæ (152) *Herodes*

(152) Id. ibid. p. 543.

factus est Rex, procul dubio non potuit id accidisse nisi sub finem dicti anni Olympici, & consequenter necessariò infertur primum annum Regni Herodis ferè totum concurrisse cum anno secundo dictæ Olympiadis.

Verùm, ut patet ex iis quæ subjunxit, Torniellus hîc veritatem non quæsivit, sed Josephum malè omninò interpretatus est, ut ostendere posset, admissâ ejus auctoritate, Herodem obiisse paulò post nativitatem Christi, quem, cum Baronio, natum perperam credidit anno tertio ante æram vulgarem, ut dicam inferiùs Propositionis IV Corollario XVII.

Deceptus etiam fuit Torniellus pravâ Rufini interpretatione, qui Josephi verba antiq. lib. XIV, cap. XXV, malè interpretatus est: *quæ tamen efficere non potuit ne Romam properaret, licet hiberno tempore, & parùm tranquillis, ut nunciabatur, rebus Italiæ*, pro *procelloso licet tempore*. Vox enim græca *Cheimônos*, quâ ibi utitur Josephus, tum *hiemem*, tum *maris procellam* promiscuè significat, ut adnotavit Norisius (153). Nam

(153) Norisius, ut n. 121, col. 216.

Nam Appianus (154), narrans plurimos remiges classis Augusti per hiemem interiisse, ac statim eamdem classem improvisâ tempestate hùc & illùc jactatam referens, hiemem ac procellam eâdem voce *Cheimônos* exprimit. Dio (155) pariter, scribens Cæsarem per hiemem piscatoriâ naviculâ ex Epiro solvisse, ac statim sæviente maris tempestate, penè submersum, nomine *Cheimônos* hiemem ac procellam designat. In Actis Apostolicis cap. XXVII describitur tempestas, quâ Divus Paulus, cùm in Italiam deduceretur, conflictatus est, & ipsâ voce græcâ *Cheimônos* exprimitur. Immò paulò post allata verba, Josephus subjungit Herodem venisse ad Antonium per medias tempestates, seu *procellas*, ut ibi scribunt ipsi Josephi interpretes, licet eâdem voce *Cheimônos* usus fuerit.

Ex varia hujusce vocis significatione, subnectit Norisius (156), non semel Josephi interpretes lapsi, viros eruditos in errores

(154) Appianus lib. v, p. 728, apud Norisium ibid.

(155) Dio lib. XLIV, apud Norisium ibid.

(156) Norisius, ut n. 121, col. 216.

traxēre. Itaque Herodes anno XL ante æram vulgarem, ſeu 714 Romano, poſt Pentecoſten, menſe circiter Junio, Alexandriam venit, indeque *procelloſo*, non autem *hiberno tempore* tranſmiſit.

Id demonſtrare neceſſe eſt. Superiori Corollario I, jam contra Keplerum oſtendi Herodem Magnum Romam venire non potuiſſe ante Septembrem anni XL ante æram vulgarem, ſeu 714 Romani: hîc etiam contra Torniellum probare teneor eum in Italiam appuliſſe ante initium anni ſequentis, quo Conſules fuerunt Marcius Cenſorinus & Calviſius Sabinus, elapſo cum Decembri præcedente Calvini & Pollionis Conſulatûs anno.

Reverâ quidem plura ſubdit Torniellus, ut ab hac difficultate ſeſe expediat: *neque prædictis*, inquit (157), *officit quod ait Cardinalis Baronius in apparatu ad ſuos Annales, nimirùm Calvini & Pollionis Conſulatum referri debere pro medietate in annum quartum Olympiadis centeſimæ octogeſimæ quartæ, & pro alia*

(157) Torniellus, ut n. 46, ann. 4014, num. 6, p. 543.

alia medietate in annum primum Olympiadis centesimæ octogesimæ quintæ : ex qua positione sequeretur , nullatenùs Herodem potuisse consequi Regis titulum in fine anni primi ejusdem Olympiadis centesimæ octogesimæ quintæ . Non , inquam , hoc obstat , quia Baronius supponit , Consulatum semper iniri consuevisse Kal. Januarii , & anno integro perdurasse , quod tamen , neque ipse probat , neque probare potest : cùm potius constare videatur de opposito. Etenim certum est , sæpè variis anni temporibus Consules esse suffectos , sive ob priorum mortem , abdicationemve , sive aliis de causis . Et præterea , quia tametsi ordinarium tempus gerendi Consulatûs esset annus integer ; & ab anno Urbis sexcentesimo firmatum fuisset , ut dies solemnes ineundi Consulatûs essent Kalendæ Januarii ; attamen constat id non semper postea fuisse observatum ; præsertim verò triumviratûs tempore , in quod incidit ipsius Calvini & Pollionis Consulatus . Nam , ut Panvinius (158) testatur , Octavianus Cæsar durante triumviratu , Consulatum pro suæ & col-

(158) Panvinius *Comment. in fast.* lib. I , cap. de Consulatu .

collegarum voluntatis arbitrio, profusissimè, & nullâ temporum vel hominum discriminis ratione habitâ, in plures paucioresve, ut illi libuisset, anni menses dedit. Quare neque supponi neque affirmari ullo modo potest, Calvini & Pollionis Consulatum, partem anni quarti Olympiadis centesimæ octogesimæ quartæ, & partem anni sequentis obtinuisse; sed tantummodo quod ipsi tunc Consules erant, quando Herodes declaratus est Rex, videlicet sub finem anni primi Olympiadis centesimæ octogesimæ quintæ.

Verùm Eminentissimus Cardinalis Norisius (159) Tornielli errorem jam patefecerat. Ex Dione enim ac vetustis inscriptionibus ejus dicta omninò refelluntur. *Intereà temporis*, ait Dio (160) circa Decembrem anni Romani 714, *etsi jam in exitu erat annus, abrogato Prætoribus ac Consulibus Magistratu, alios iis suffecerunt, nihil curantes quod ii paucos dies essent cum ea dignitate futuri. Fuit inter eos qui tum Consules facti sunt, Lucius Cornelius Balbus, Gadibus na-*

(159) Norisius, ut n. 121, col. 223.
(160) Dio, ut n. 100, lib. XLVIII, p. 232.

natus. Lapis verò Colotianus tum ordinarios Consules Calvinum & Pollionem, tum suffectos ita designat apud Gruterum (161):

CN. DOMITIVS M.F. C. ASINIVS CN. F.
SVF. L. CORNELIVS L.F. SVF. P. CANIDIVS P.F.

Quamvis triumviri tempus Consulatûs pro arbitrio disponerent, numquam tamen fecêre, ut prioris anni Consules ultra sequentes Kalendas Januarias Magistratum continuarent. Hinc in antiquis fastis Capitolinis ipsis Kal. Januariis anni insequentis Romani 715 Lucius Marcius Censorinus Consul dicitur triumphasse.

L. MARCIVS L. F. C. N. CENSORINVS COS. A...
EX MACEDONIA K. JAN.

Consulatus igitur Calvini & Pollionis continet partem anni quarti Olympiadis 184, & a solstitio æstivo usque ad suffectos Consules Balbum ac Canidium initium Olympiadis 185, uti rectè dicebat Baronius, quem Torniellus satis infeliciter ibidem impugnat. Non ergò Herodes a Romanis Rex Judææ declaratus fuit

(161) Jan. Gruterus *corpus inscrip.* tom. I, part. II, p. CCXCVIII, n. I, edit. Amstelædami MDCCVII, in fol.

fuit exeunte anno primo Olympiadis centesimæ octogesimæ quintæ, seu anno XXXIX ante æram vulgarem.

Id confirmatur Appiani auctoritate, qui cùm dixisset (162) *Idumæorum Samaritarumque Herodem* Regem ab Antonio constitutum, statim addit: *his dispositis, hibernavit Athenis cum Octavia, sicut ante Alexandriæ cum Cleopatra*. Non igitur Herodes Regis titulo donatus est exeunte anno primo Olympiadis 185, seu anno XXXIX ante æram vulgarem, sed ante hiemem ejusdem anni Olympici, currente adhuc anno XL ante æram vulgarem. Antonius enim numquam amplius Romam rediit.

COROLLARIUM IV.

Errat Norisius scribens Herodem Magnum Judææ Regno potitum esse, captis Hierosolymis, anno XXXVIII ante æram vulgarem.

EMinentissimus Cardinalis Norisius (163), Dionis narratione deceptus, Hierosolymam ab Herode Magno & Sosio captam con-

(162) Appianus *de bell. civ.* lib. v, apud Norisium, ut n. 121, col. 221.

(163) Norisius, ut n. 121, col. 225, & seqq.

contendit anno XXXVIII ante æram vulgarem, Romæ Consulibus Ap. Claudio Pulchro & Caio Norbano Flacco; annosque XXXIV Herodis Regni a detruso Antigono, ab eo Consulatu esse computandos, contra Josephi auctoritatem, qui annos illos numeravit ab insequenti Consulatu.

Id quidem parùm facit ad indicandum verum nativitatis Christi annum, sed ut omnis erroris suspicio a Josepho amoveatur, qui res Herodianas tam accuratè narravit, Norisii errorem patefaçere necesse est. arduum sanè opus, quod nihilominus tentabo duce eruditissimo Pagio (164), cujus ipsissimis etiam verbis plurimùm usurus sum.

Superiori Corollario I jam probavi contra Keplerum, Herodem Magnum a Romanis Judææ Regem non fuisse declaratum ante exeuntem Septembrem anni XL ante æram vulgarem. Item Corollario immediatè superiori contra Torniellum ostendi Herodem Judææ Regnum a Senatu Romano obtinuisse ante finem ejusdem anni. Hic igitur ejus usque ad obitum Antigoni historiam prosequi necesse

(164) Pagius, ut n. 140, p. 17 & seqq.

cesse est, ut quid de eo anno sentiendum compertum sit.

Herodes, teste Josepho (165), septimo die postquam Romam advenerat, insperata felicitate Rex inde discessit, ac in Judæam navigavit mense Octobri anni XL ante æram vulgarem. Eo enim mense ineunte, aut exeunte Septembri, Judææ Regnum a Romanis obtinuerat, ut patet præsertim ex superiori Corollario I.

Toto autem, ait Josephus (166), *Herodis absentiæ tempore, Antigonus familiam ejus oppugnabat in Massada. Intereà Ventidius, Romanorum Dux, missus ut Parthos e Syria pelleret, post illorum abscessum*, (anno scilicet insequenti XXXIX ante æram vulgarem) *in Judæam venit eo prætextu, quasi Josepho* (Herodis fratri) *laturus auxilium; sed reverà hoc consilio, ut pecuniam extorqueret ab Antigono. Positis igitur castris propè Hierosolymam, satis magnam pecuniæ vim exegit ab eo. Quo facto ipse quidem cum majore co-*

(165) Josephus, ut n. 67, lib. XIV, cap. XXVI, p. 423.

(166) Id. ibid. p. 424.

copiarum parte recessit. Ne tamen fraus deprehenderetur, Silonem cum quadam militum parte ibi reliquit: quem & ipsum placandum habuit Antigonus ne quid interim molestus esset, dum Parthi, ut ipse sperabat, succurrerent.

Interim Herodes (167), *ex Italia reversus Ptolemaidem, collectis non mediocribus copiis tum ex conductitio tum ex suæ gentis milite, properabat per Galilæam contra Antigonum, adjutus a Silone ac Ventidio, ad quos Gellius* (168) *ab Antonio missus fuerat cum mandatis, ut Herodem in suum Regnum deducerent, quamvis Ventidius tùm fortè distinebatur componendis Civitatum tumultibus, quos irruptio Parthorum excitaverat. Silo verò in Judæa erat, sed pecuniâ corruptus ab Antigono. Attamen Herodis ulteriùs procedentis copiæ augebantur in dies, & tota Galilæa, paucis exceptis, stabat ab ejus partibus. Captâ deinde Joppe properavit Massadam ad liberandos obsidione domesticos,* eâque & *Ressâ castello captis, petebat Jerosolymam.* Tum Jerichuntem se contulit, *offen-*

(167) Teste Josepho ibid. cap. XXVII, p. 424.

(168) Ita Josephus, sed *Dellius* legendum est.

offendensque (169) *Urbem relictam ab habitatoribus, eos quidem captos dimisit. Romani verò invadentes Urbem diripuerunt. Rex igitur relicto in ea præsidio reversus est, & Romanum exercitum hibernatum in recens deditas regiones dimisit, Idumæam, Galilæam & Samariam. Eodem tempore*, subdit Josephus (170), *Antonius morabatur Athenis.*

Usserius (171) & eum sequutus Cardinalis Norisius (172) hæc facta scribunt anno XL ante æram vulgarem, hancque hiemem primam Norisius putat, postquam Herodes a Romanis Regnum obtinuit. Qui error inde eis natus quòd Pacorum, Regis Parthorum filium, occisum velint anno XXXIX ante camdem æram; indeque quæ anno sequenti in Judæa acta, hoc anno XXXIX narrant. Verùm Pacori necem anno tantum XXXVIII ante æram vulgarem contigisse inferiùs demonstrabo.

Utrum-

(169) Teste Josepho, ut n. 67, lib. XIV, cap. XXVII, p. 425.

(170) Id. ibid. p. 426.

(171) Jac. Usserius *annal. vet. & nov. test.* p. 542, edit. Lutetiæ Paris. MDCLXXIII, in fol.

(172) Norisius, ut n. 121, col. 224 & seq.

Utrumque etiam decepit Antonii commoratio in urbe Athenienſi. Arbitrati enim ſunt Antonium ſub exitu anni XL ante æram vulgarem Athenas veniſſe, & poſtquam ibi hibernaſſet, inde anno ſequenti XXXIX ad bellum profectum fuiſſe, quia Appianus (173), poſtquam loquutus eſt de pace a Cæſare & Antonio cum Sexto Pompeio factâ, de qua mox, de Antonio dicit: *hibernavit Athenis cum Octavia, ſicut autè* (anno XL) *Alexandriæ cum Cleopatra*. At verum quidem eſt Antonium, poſt pacem illam compoſitam, non exeunte anno XL ante æram vulgarem, ut mox videbitur, ſed ineunte ſequenti XXXIX, relictâ Italiâ Athenas veniſſe, ibique hibernaſſe. Sed eâ in Urbe non ſolum toto hoc anno XXXIX, ſed etiam magna parte inſequentis XXXVIII verſatus eſt, ut ex dicendis liquebit, & Dio (174), de rebus ſub Cenſorino & Sabino Conſulibus anno XXXIX ante æram vulgarem peractis loquens, his verbis indicat: *bellum verò Labieni ac Parthorum hoc modo confectum. Antonius in Græ-*

(173) Appianus *de bell. civ.* lib v. p. 716.

(174) Dio, ut n. 100, lib. XLVIII, p. 234.

ciam ex Italia reversus (ipso hujus anni exordio) *multùm ibi temporis exegit, simul ut suæ cupiditati satisfaceret, simul ut quàm maximè debilis Provincia Pompeio traderetur, Urbes affligens. Ibi inter alia, quæ contrà patrium morem agebat, Bacchum se alterum nominavit... his rebus ipse occupatus P. Ventidium in Asiam præmisit*. Appianus (175) quidem dicit Ventidium in Asiam, ut reprimeret Parthos Labienumque anno elapso XL, post pacem Cæsarem inter & Antonium pactam, missum fuisse; sed jam alibi (176) *rursum* hoc anno XXXIX adversus Parthos missum, ut mox dicetur, asseverat. Diù itaque Antonius Athenis mansit, ibique dum ageret, quæ mox a Josepho narrata, contigêre. Neque hoc anno XXXIX ante æram vulgarem in Parthos ipse movit, sed tantum in eos Ventidium præmisit; nec etiam ante annum sequentem XXXVIII in Asiam profectus est.

Parte alterâ Antonius & Cæsar postquam anno XL ante æram vulgarem exeunte mense Septembri, aut ineunte Octobri, sese recon-

(175) Appianus *de bell. civ.* lib. V.
(176) Idem *de bell. Parth.*

conciliati fuissent, ut dixi superiori Corollario I, cùm Roma fame premeretur, Sexto Pompeio, Magni filio, numerosâ classe impediente, ne commeatus Urbem adveherentur, populi Romani conviciis coacti, pacem cum eodem Pompeio fecerunt: qui in colloquium cum triumviris venerat Misenum, Campaniæ oppidum. De pace illa, teste Dione (177), actum quidem fuit exeunte eodem anno XL, sed jam ineunte anno insequenti XXXIX quod per socios actum fuerat, in præfato colloquio confirmatum est, & pacis conditiones scriptæ. Hinc apud Dionem (178) recitantur eæ conditiones sub posterioris hujus anni Consulibus. Ineunte igitur anno XXXIX ante æram vulgarem, Censorino & Sabino Consuibus, in Italia adhuc degebat Antonius. Pace autem peractâ, teste Appiano (179), Pompeius in Siciliam navibus reversus est, Cæsar verò & Antonius ad Urbem terrestri itinere.

Marcus Antonius in Itália, *junctus amicitiâ Cæsari & Pompeio tenenti Siciliam*, *præ-*

 mi-

(177) Dio, ut n. 100, lib. XLVIII. p. 231 & seq.
(178) Id. ibid. p. 233.
(179) Appianus *de bell. civ.* lib. V.

misit rursum in Asiam Ventidium, ut Parthos non sineret ulteriùs procedere, inquit Appianus (180), qui paulò post subdit: *quo tempore Athenis hibernanti primi successus Ventidii nuntiati sunt, victos esse Parthos prælio, Cæsum Labienum & Phraatem, præstantissimum e Regis* (Parthorum) *Ducibus: quamobrem epulum Græcis præbuit, & suscepit præfecturam Atheniensis Gymnasii*. De eadem victoria hæc Plutarchus (181) habet: *ibi cùm Athenis hiemaret, afferuntur lætissimi nuntii, Ventidium profligatis Parthorum copiis, Labienum & Pharnapatem bellicosissimum Orodis Regis Ducem occidisse*. Rem gestam fusè narrat Dio laudatus, qui quidem annum, sed tempestatem non designat. Cùm tamen tam Plutarchus quam Appianus afferant Antonium de victis Parthis nuncium accepisse, dum Athenis hibernaret, manifestum est victoriam illam exeunte autumno anni XXXIX ante æram vulgarem, fuisse reportatam, & circa hiemis initium ejus nuntium ad Antonium Athenis hibernantem perlatum. Plutar-

(180) Id. *de bell. Parth.*

(181) Plutarchus *in Antonio*.

tarchi enim & Appiani verba de fine hiemis præcedentis intelligi non possunt, cùm hujus anni initio Ventidius in Asiam missus fuerit, neque fieri potuerit, ut ea hieme & Parthos vinceret, & victoriæ nuntius ad Antonium perferretur.

Usserius ac Norisius hanc cladem anno præcedenti illigant; fundaturque posterior (182) in iis quæ Liviani libri CXXVII epitome referuntur: Antonius, *pace factâ cum Cæsare* (circa exeuntem Septembrem anni XL ante æram vulgarem) *sororem ejus Octaviam in matrimonium duxit. Q. Salvidienum consilia nefaria contra Cæsarem molitum, indicio suo protraxit, isque damnatus mortem sibi conscivit* (anno etiam XL teste (183) Dione). *P. Ventidius, Antonii Legatus, Parthos prælio victos Syriâ expulit, Labieno eorum duce occiso. Quùm vicinus hostis Italiæ Sex. Pompeius Siciliam teneret, & commercium annonæ impediret, cum eo postulatam pacem Cæsar & Antonius fecerunt, ita ut Siciliam provinciam haberet. Præterea motus Africæ & bella gesta*

(182) Norisius, ut n. 121, cap. XVI, §. V, col.449.
(183) Dio, ut n. 100, lib. XLVIII, p. 232.

continet. Quæ bella anno Romano 716, seu XXXVIII ante æram vulgarem ex Dione gesta sunt. Verùm, cùm Dio (184) victoriam illam Parthicam cum anno Urbis 715 disertè conjungat, & Appianus laudatus affirmet eam relatam a Ventidio, postquam in Asiam *rursum* præmissus est, quod factum, ut jam dixi, hujus anni XXXIX ante æram vulgarem initio, quæ obscura videntur in Liviano epitome, ubi temporum ordo non semper servatur, ex clarissimis Dionis & Appiani verbis explicanda.

Anno XXXVIII ante æram vulgarem, Romano verò 716, Claudio Pulchro & Norbano Flacco Consulibus, Pacorus Orodis Parthorum Regis filius, ut acceptam anno superiori a Romanis cladem ulcisceretur, copiis ex hibernis eductis, contra Ventidium iter intendit. Is, ubi hæc accepit, non levi metu perculsus est, cùm nec Urbes essent adhuc in Romanorum amicitia confirmatæ, *& exercitus in hibernis etiamnum dispersi*, ut scribit Dio (185). Quare, ut properanti

(184) Id. ibid. p. 234 & seq.

(185) Id, ibid. lib. XLIX, p. 248.

ti Pacoro moram injiceret, ac tempus colligendis copiis nancisceretur, fraude, a Frontino (186) & Dione (187) laudato narratâ, usus est, & parte exercitûs, qui in Cappadocia ultrà Taurum hiemaverat, cæteris copiis adjunctâ, motisque castris in Cyrresticam Syriæ regionem perrexit, ac Parthos fluvium transire passus est, quò timoris opinionem illis injiceret. Signis postea collatis, iterùmque metu simulato, jussit legionarios quasi hostilium sagittarum nimbis confixos procumbere, ac in hostem victoriæ opinione securum, ac spe prædæ laxatis ordinibus irruentem insurgere. Ita victi fugatique Parthi toto inter Orontem atque Euphratem spatio latâ strage ceciderunt; viginti millibus unà cum Pacoro in acie desideratis. Dies rei gestæ ex his Dionis (188) verbis elicitur: *videbatur Crassi calamitatem Pacorus abundè compensasse, præsertim cùm eâdem anni die utraque res evenisset*; quod etiam eàdem die accidisse testantur Rufus (189) & Eutro-

(186) Frontinus *Stratag.* lib. I, cap. I.

(187) Dio, ut n. 100, lib. XLIX, p. 248.

(188) Id. ibid. p. 249.

(189) Rufus *in Breviario*.

pius (190), octavo nempe mensis Junii.

Quoad victoriæ reportatæ annum, sine quo secunda regni Herodiani epocha certò detegi non potest, Usserius (191), & eum sequutus Norisius, existimant illud prælium ipsius Dionis testimonio in annum præcedentem incidisse. *Nam*, ait Cardinalis Norisius (192), scribit Dio *statim ab Antonio Ventidium præfecturâ privatum, neque tunc, neque deinceps illum ulla in re ejusdem operâ usum fuisse*. Caius autem Sosius, *inquit Dio*, Syriæ & Ciliciæ ab Antonio præpositus, *Aradios expugnavit, ac Hierosolymam unà cum Antigono Rege cepit*; *tempus verò designans, ait*: id factum Claudio & Norbano Consulibus. *Quare, cum ii Magistratum gesserint A. V. 716, eo anno Sosius erat Legatus Antonii in Syria; anno verò superiori 715, Ventidius eamdem Syriam administrabat: quo etiam anno Parthos insigni clade profligavit*. Ita Cardinalis Norisius.

At illud argumentum rem minimè evincit. Nam, verum quidem est, post hoc prælium

(190) Eutropius *Hist. Rom. brev.* lib. VII, cap. V, p. 81, edit. Paris. MDCLXXXIII, in 4.

(191) Usserius, ut n. 171, p. 543 & seq.

(192) Noris, ut n. 121, col. 227.

lium Ventidium ab Antonio præfecturâ privatum, Sosiumque Syriæ ac Ciliciæ ab eo præpositum, idque currenti anno XXXVIII ante æram vulgarem, seu 716 Romano. Sed hoc non impedit, quin Ventidius, qui anno elapso Syriam regebat, & egregiam victoriam de Parthis retulit, eamdem provinciam majori hujus anni parte gubernarit, & postea ei Sosius subrogatus fuerit. Neque Dio existimare potuit victoriam Parthicam, in qua Pacorus occisus, anno præcedenti XXXIX relatam fuisse, cum alteram victoriam, in qua Labienus & Pharnapates interfecti, sub ejusdem præcedentis anni XXXIX Consulibus consignet: & aliundè certum sit, adversariis etiam fatentibus, eas victorias ad duos diversos annos pertinere. Dio itaque lib. XLVIII, sub Consulatu Martii Censorini & Sabini anno præcedenti gesto, priorem victoriam recitat; sed postea libro sequenti, cùm narrasset necem Sexti Pompeii, quæ contigit anno ineunte XXXV ante æram vulgarem, seu 719 Romano, orditur bellum a Ventidio contra Parthos gestum hoc anno XXXVIII, occasione fugæ quam Pompeius ad Parthos meditabatur, & in qua deprehen-

henfus trucidatus eft. Quamobrem quod ibidem narrat Dio, currentis anni XXXVIII fupplementum quoddam eft, non verò præcedentis XXXIX, feu Romani 715, cum victoriam eo anno de Parthis relatam fusè recitarit. In eo autem peccat Dio quod fub præfentis anni XXXVIII Confulibus Hierofolyma capta afferit. Quod tamen ab eo factum credi poffet, ut uno tenore Antigoni Regis cafum narraret. Id enim hiftoricis fat affuetum.

Reverà quidem hæc fubjungit Dio (193): *anno infequenti* (XXXVII ante æram vulgarem) *nihil memoratu dignum a Romanis in Syria actum eft. Nam Antonius in Italiam eundo ac inde revertendo totum annum exegit. Sofius Antonii, non fuam gloriam aucturus, metu invidiæ iræque ejus, ita id tempus confumpfit, ut non quomodo re aliquâ egregiè geftâ Antonium offenderet, fed quomodo otiatus ejus gratiam iniret, cogitaverit.* Verùm eadem eft ratio, quia fcilicet anno XXXVIII, quæ XXXVII infequenti facta, faltem in Judæa, ipfe narravit. Nec obftat quod addit, So-

(193) Dio, ut n. 100, lib. XLIX, p. 249.

Sosium nihil in Syria egisse metu invidiæ iræque Antonii. Verum enim esse concedo Sosium nihil proprio Marte egisse in Syria anno XXXVII; nam in Hierosolyma expugnanda Herodi tantùm auxiliator fuit, & quidem jussu Antonii.

Antonius itaque hoc tantum anno XXXVIII ante æram vulgarem, ad bellum Parthicum profectus est, de qua profectione intelligenda verba Plutarchi (194), qui, cum narravit quæ Antonius Athenis egit, ait: *inde ad bellum proficiscens sertum excerpit e sacra oliva & ex clepsydra vas aquæ plenum, secundùm quoddam oraculum, secum tulit. Intereà Pacorum Regis filium unà cum magnis Parthorum copiis in Syriam irrumpentem, Ventidius in Cyrrhestica delevit.* quod & Appianus (195) habet. Laudati Usserius, Cardinalisque Norisius, qui hanc profectionem a Plutarcho memoratam cum anno præcedenti conjungunt, non animadverterunt quod eo anno Dio (196) prodit, Antonium nempe, qui

(194) Plutarchus *in Antonio*.

(195) Appianus *de bell. Parth.*

(196) Dio, ut n. 100, lib. XLVIII, p.

qui initio antecedentis anni Athenas venit, *per multum ibi temporis* egisse, eo anno Ventidium in Asiam præmisisse, & posteà, præsenti nempe anno XXXVIII, illùc ipsum profectum esse.

Ventidius, cum Syriam pacasset, contra Antiochum duxit eo obtentu, quòd is ei servos non dedidisset; re autem verâ, pecuniæ spe potiundæ. hoc agenti Antonius subitò supervenit, & cùm invideret etiam ob rem proprio ductu præclarè gestam, *tamen cum & officio suo detrusit, & neque tùm, neque deinceps ulla in re opera ejus usus est*, inquit Dio (197).

In Palæstina, eodem hoc anno XXXVIII ante æram vulgarem, hæc gesta sunt. In Syria *Ventidius*, teste Josepho (198), *Silonem accersens contra Parthos, jussit primùm Herodi navare operam, deinde ad proprium bellum excire provinciales auxiliarios. At* Herodes, *Silone ad eum misso, ipse contra latrones in speluncis degentes duxit militem*; & spe-

(197) Id. ibid. lib. XIIX, p. 249.

(198) Josephus, ut n. 67, lib. XIV, cap. XXVII, p. 426.

ſpeluncas omnes in præruptis montibus ſitas expugnavit. Deinde *in Samariam* (199) *profectus eſt cum ſexcentis equitibus & tribus millibus peditum, ut armis cum Antigono rem decerneret... intereà cæſo in pugna Pacoro, & Parthis profligatis* (die nempe VIII Junii) *Ventidius Herodi in auxilium mittit Machæram cum duabus legionibus & mille equitibus, jubente hoc Antonio. Ille vocatus ab Antigono, & pecuniis corruptus* eſt: hinc Herodes *properavit* (200) *ad Antonium oppugnantem Samoſatam, ſitam ad Euphratem fluvium, ducens auxiliares tam pedites quam equites. Poſtquam autem pervenit Antiochiam, repertis ibi multis collectis, qui cupientes adire Antonium, non audebant ſe committere itineri propter obſidentes vias barbaros & ſævientes cædibus, bono animo eſſe juſſis ducem ſe præbuit... poſtquam autem propè Samoſatam ventum eſt, exercitum inſtructum & ornatum ei honoris cauſâ miſit obviam Antonius... Antiocho autem paulò poſt id caſtrum dedente, & hoc pacto finito bello, Soſio provinciam An-*

(199) Id. ibid. p. 427.

(200) Id. ibid. p. 423.

Antonius cum exercitu tradidit : commendatoque ei Herodis negotio, in Ægyptum ipse profectus est. Obſidionem autem Samoſatenſem multum temporis duraſſe indicat Plutarchus, quando de Samoſatenis ſcribit : *ob deſperationem in audaciam verſi, diu Antonium oppugnationi intentum tenuêre*.

Expugnatis Samoſatis, Soſius, cui Antonius Syriæ provinciam tradiderat, *duas legiones*, ait Joſephus (201), *cum Rege præmiſit in Judæam, ipſe cum reliquo exercitu ſequebatur*. Herodes autem, *poſtquam* (202) *ad Libanum montem pervenit . . . Ptolemaidem petiit*, & deinde cum Pappo, Antigoni duce ſigna contulit, atque hoſtes ad internecionem cæcidit. *Videre erat*, inquit Joſephus (203), *eos agminatim diffugere, & niſi regios victores hiemis aſperitas* (204) *prohibuiſ-*

(201) Id. ibid.

(202) Teſte Joſepho ibid. p. 429.

(203) Id. ibid. p. 430.

(204) Hic Joſephi interpres ſcripſit : *Et niſi repentè valida tempeſtas interveniſſet, Regii victores &c.* Sed malè, ut quodammodo ipſemet fatetur, dum Joſephi, eamdem hiſtoriam narrantis ibid. *de bell. Judaic.* lib.

buisset, statim Hierosolymam petiissent, & finem bello imposuissent.

Hic magna difficultas, an scilicet Josephus eo loci loquatur de hieme anni XXXVIII ante æram vulgarem, an verò de hieme anni antecedentis. Eâ enim hieme exactâ, Hierosolyma obsessa & in Herodis potestatem redacta. Cardinalis Norisius (205) aliique plures, qui majorem fidem Dioni, cladem Hierosolymitanam hujus anni XXXVIII Consulibus alliganti, quàm Josepho eamdem cum sequentis anni Consulibus conjungenti, adhibendam arbitrantur, contendunt, post Herodem Regem Romæ renuntiatum duas tantum hiemes effluxisse; priorem, de qua cum Josepho superiùs loquutus sum, & posteriorem de qua mox cum eodem Josepho, ita ut laudata mox verba de præcedentis anni XXXIX

lib. I, cap. XIII, p. 643, verba græca latinè vertit: *nisi eum biemis asperitas probibuisset*. Vox enim græca *Cheimon*, quæ, ut alibi jam adnotavi, *biemem & procellam* promiscuè significat, hic in utroque Josephi loco *biemem* indicat, eamque jam instasse, rerum ab eo narratarum series evidenter demonstrat. Neque de hoc dubium esse potest.

(205) Norisius, ut n. 121, col. 229.

XXXIX hieme intelligenda ſint, & currenti anno XXXVIII ubi hiems remiſit, Urbs expugnata ſit. Verùm in rebus Syriacis & Judaicis Joſephus Dioni, ſi tamen benè intelligatur, præferri debet, utpote qui & loco & tempore Herodi proximior, & qui Herodis vitam ex voluminibus Nicolai Damaſceni, Herodis ipſius amici fidiſſimi, exſcripſit. Ideò autem Joſephus duas tantum hiemes illas memoravit, quia bellum nonniſi poſt priorem, quam ſilet, inchoavit. Denique cum prima de Parthis victoria in annum XXXIX ante æram vulgarem, altera verò in qua Pacorus occiſus, in præſentem XXXVIII inciderit, urbis Hieroſolymitanæ occupatio nonniſi ſequenti anno XXXVII, ut rectè Joſephus, contingere potuit.

Ex ſuperiori Corollario I, Herodes, Hieroſolymis a Parthis & Antigono occupatis anno XL ante æram vulgarem, Romam aufugit, ubi Marci Antonii operâ Judææ Rex a Senatu Romano declaratus eſt exeunte Septembri aut ineunte Octobri ejuſdem anni. Ex dictis autem ſuperiùs Dionis auctoritate, Antonii & Cæſaris cum Sexto Pompeio pacis tractatio cœpta eſt exeunte eodem anno

no XL, & finita, ac pacis conditiones conscriptæ ineunte sequenti XXXIX. Eâ *pace compositâ*, teste laudato Plutarcho, Antonius præmisit in Asiam Ventidium, ut progressum Parthorum sustineret, ipseque Antonius Italiâ excessit, & in Græciam venit. Tum subdit Plutarchus (206), Antonio *hibernanti Athenis primæ Ventidii res prosperè gestæ nuntiantur, Parthis fusis, Labienum & summum Orodis Regis ducem Pharnapatem ab eo interfectos*. Manifestum est igitur Labienum, e Parthorum ducibus unum, anno tantùm XXXIX ante æram vulgarem a Ventidio devictum. Quod cùm laudatus Dio etiam disertè testetur, mirum est Eminentissimum Cardinalem Norisium, Usseriumque, qui se hac in re Dionem sequi profitentur, pugnam illam cum anno præcedenti XL illigasse.

Verum quidem est in epitome libri CXXVII Liviani hæc verba legi: *P. Ventidius Antonii Legatus, Parthos prœlio victos Syriâ expulit, Labieno eorum duce occiso. Quùm vicinus Italiæ hostis Sex. Pompeius Italiam teneret, & commercium annonæ impediret, cum*

G *eo*

(206) Plutarchus *in Antonio*.

eo postulatam pacem Cæsar & Antonius fecerunt, ita ut Siciliam provinciam haberet. Ex quo sequi videtur existimasse Livium, Ventidium ante pacem Cæsaris & Antonii cum Sexto Pompeio initam, Labienum debellasse, ideòque & anno XL ante æram vulgarem, quo exeunte de ea pace agi cœptum. Verùm in illo argumento libri CXXVII ordinem temporis in omnibus Livius non servavit, quemadmodum nec Velleius, qui postquam de illa pace mentionem fecit, variaque alia narravit, *hoc tractu temporum*, inquit (207), *Octaviam sororem Cæsaris Marcus Antonius duxit uxorem*: & tamen, ipso etiam Livio ibidem teste, Antonius, pace factâ cum Cæsare, Octaviam sibi matrimonio copulavit, antequam scilicet pacem cum Sexto Pompeio contraheret.

Herodis adventus Ptolemaidem, postquam a Senatu Romano Rex Judæorum declaratus est, Cardinali Norisio Usserioque errandi causa fuêre. Josephus enim, narratâ illâ Regni adeptione, *interim*, ait (208), *Hero-*

(207) Caius Velleius Paterc. *Hist. Rom.* lib. II, p. 56, edit. Antuerpiæ MDCXXVII, in fol.

(208) Josephus, ut n. 67, l. b. XIV, cap. XXVII, p. 424.

rodes ex Italia reversus Ptolemaidem, collectis non mediocribus copiis tum ex conductitio tum e suæ gentis milite, properabat per Galilæam contra Antigonum, adjutus a Silone ac Ventidio, ad quos Dellius ab Antonio missus fuerat cum mandatis, ut Herodem in suum Regnum deducerent, quamvis Ventidius tum fortè distinebatur componendis Civitatum tumultibus, quos irruptio Parthorum excitaverat. Silo verò in Judæa erat, sed pecuniâ corruptus ab Antigono. Existimarunt namque Herodem sub finem anni XL ante æram vulgarem, Ptolemaidem venisse, & in Judæa hiemem transegisse: cùm tamen eâ hieme tam Ptolemais, quam aliæ Syriæ urbes a Parthis occuparentur, nec eas receperit Ventidius, nisi postquam Labienum vicit, Arado tantum exceptâ, quæ vix tandem postea ab aliis expugnata est, ut prodit Dio (209). Quare Herodes Ptolemaidem, quæ eodem anno XL Parthos intromiserat uti & Sidon, teste Josepho (210), eodem anno nullo modo venire potuit, neque ad eam accedere, nisi post-

(209) Dio, ut n. 100, lib. XLIX, p. 249.

(210) Josephus, ut n. 67, lib. XIV, cap. XXIV, p. 419.

postquam, exceptâ Arado, Ventidius, fuso Labieno Phœniciam & Syriam sibi subjecit. Herodes itaque, postquam Rex declaratus est, hiemem transegit, vel Athenis apud Antonium, vel Rhodi, vel in aliqua alia Civitate, quòd in Phœniciam & Judæam, a Parthis & Antigono occupatas appellere non posset. Transactâ verò illâ hieme, ubi accepit Labienum Parthorum ducem a Ventidio superatum, Ptolemaidem venit, ideòque anno XXXIX, eoque tempore, quo *Ventidius distinebatur componendis Civitatum tumultibus, quos irruptio Parthorum excitaverat*, ut disertè scribit Josephus.

Priori victoriâ Parthicâ suo anno assignatâ, liquet secundam, in qua Pacorus Parthorum Regis filius interfectus, pertinere ad annum XXXVIII ante æram vulgarem, quo & eam Dio (211) recitavit. Hæc enim Dionis verba: *porrò autem Antonii* (212) *&* *Barbarorum res &c.* usque ad ista *anno* (213) *insequenti*, ea continent quæ Dio anno XXXVIII gesta esse putavit. Cùm itaque tam

(211) Dio, ut n. 100, lib. XLIX, p. 248 & seq.
(212) Id. ibid. p. 248.
(213) Id. ibid. p. 249.

tam Cardinalis Norisius, quam Usserius fateantur duas illas Ventidii victorias, de Labieno nempe & de Pacoro, ad diversos annos pertinere, nullum dubium esse potest quin posterior ad præsentem annum XXXVIII spectet, ideoque quin Hierosolyma anno tantùm XXXVII capta fuerit, & ab eo anno secunda regni Herodiani epocha desumenda sit.

Hoc anno XXXVII ante æram vulgarem, seu 717 Romano, Vipsanio Agrippâ & Caninio Gallo Consulibus, *ubi rigor hiemis cessit*, teste Josepho (214), Herodes *moto exercitu venit Hierosolymam, & castra prope Urbem metatus est, anno tertio postquam Romæ declaratus Rex fuerat*. Interim dum aggeres ac turres exstruuntur, Herodes in Samariam divertit, ducturus in uxorem Mariamnem, Aristobuli Regis neptem, celebratisque nuptiis in castra (215) reversus est. Opera-

 rum

(214) Josephus, ut n. 67, *de bell. Jud.* lib. I, cap. XIII, p. 643, & *antiq. Jud.* lib. XIV, cap. XXVII, p. 430; sed hoc posteriori loco interpres *tempestatem* pro *hieme* iterum malè scripsit. Vide notas superiores.

(215) Teste Josepho, ut n. 67, lib. XIV, cap. XXVIII p. 430.

rum frequentiâ facilè absoluti sunt aggeres: *æstas enim erat & opus fervebat, nullâ interturbatum aeris intemperie*. Obsessi intrepidè repugnabant, & conferentes pugnam cum Romanis nihilo erant inferiores audaciâ, peritiâ tantùm rei militaris cedebant: utentesque desperatione pro fortitudine ad estremum perdurabant, idque obsessi a tam numeroso exercitu, ipsi fame simul laborantes & inopiâ. *Nam in sabbaticum annum inciderat oppugnatio*, inquit Josephus (216). Annus sabbaticus cœpit die septima Tisri, qui Septembris parti respondet, anni præcedentis, ut in dubium revocari non potest. Quare annus ille sabbaticus in exitum vergebat. Tandem Herode Sosioque fortiter obsidionem urgentibus, Urbs capta fuit.

Ea clades Hierosolymorum, ait Josephus (217), *incidit in Consulatum M. Agrippæ & Caninii* (218) *Galli, CLXXXV Olympiade, mense tertio, feriis quibus solemne fit jejunium, tamquam recurrente in idem temporis momentum*

(216) Josephus ibid. p. 431.

(217) Id. ibid. p. 432.

(218) Apud Josephum legitur *Canidii* pro *Caninii*, mutato uno elemento librariorum incuria.

tum illatâ Judæis a Pompeio calamitate. Nam & ab illo eâdem die Urbs capta fuerat ante annos viginti septem. Olympias CLXXXV anno XL ante æram vulgarem est inchoata, quare quartus illius annus currenti XXXVII cœptus. Capta fuerat Hierosolyma a Pompeio anno LXIII ante æram vulgarem, ideòque illi viginti septem anni inchoati tantùm intelligendi. Quâ anni formâ utatur Josephus, & quæ fuerint solemnes illæ jejuniorum feriæ, non omninò compertum. Anno tamen sacro, ut dicam inferiùs Corollario VIII, uti videtur. Duravit per quinque menses obsidio, teste eodem Josepho (219). Ab hoc itaque anno XXXVII ante æram vulgarem, non verò a præcedenti, desumenda est secunda regni Herodiani epocha, secundùm quam dicitur a Josepho annos regnasse XXXIV ex quo Judææ regno verè potitus est Herodes.

Cardinalis Norisius, ut fidem Josephi elevet, varios errores in ejus narratione ostendere conatur: sed ii ex dicendis Corollario VI, quod vide, omninò evanescunt.

(219) Josephus, ut n. 67, *de bell. Jud.* lib. I, cap. XIII, p. 644.

COROLLARIUM V.

Errat R. P. Faure annos nummorum Vari, moriente Herode Magno Syriæ Legati, numerans ab epocha Augustorum, ineunte anno XXVII ante æram vulgarem.

ANtiochenses, Antiochiæ Syriæ metropolis incolæ, (a quibus superiùs Propositionis I Sectione III laudati nummi (a) in honorem Quintilii Vari, in Syria Cæsaris Legati, fuêre cusi, variis epochis in annis computandis usi sunt, I. nempe Syro-Macedonicâ, seu Seleucidarum; II. Pompeianâ, in honorem Pompeii Magni, qui, Syriâ in provinciam Romanam redactâ, Antiochensibus permisit, ut propriis uterentur legibus; III. Cæsarianâ, seu Julianâ, ineunte ab Octobri anni XLIX ante æram vulgarem, quo Julius Cæsar dictator primùm dictus est; & IV. Actiacâ (220), ineunte a II Septembris

(a) Vide Tab. I.

(220) Joan. Vaillantius *numis. Imp. a pop. græcè loq. percuss.* p. 252, edit. Amstelædami MDCC, in fol. eam vocat *Augustanam*, sed minus benè. Æra enim *Au-*

gu-

bris (221) anni XXXI ante æram vulgarem, quo ad Actium Cæsar Antonium vicit, & rerum summâ solus potitus est.

De hac ultima tantùm hîc agitur, quia annos Antiochensium nummis, Quintilii Vari nomine inscriptis, obsignatos ab ea numeravi, ducibus celeberrimis numismatologis Eminentissimo Cardinali Norisio & doctore Joanne Vaillantio, qui iis pariter usi sunt, ut probarent Herodis Magni mortem quatuor annis præcessisse æram vulgarem.

Hosce tamen deceptos prædicat R. P. Faure, ut veram tueri possit Musantii Chronologiam: ast videamus quibus rationum momentis, ut ipsiusmet verbis utar.

At quæso, inquit (222), *quibus rationum momentis Vaillantius illud evincit, eos annos* 25, 26, 27 (223) *esse Actiacos, & post victoriam Actiacam numerandos? nullis prorsus* (224). *Do-*

---

gustana dicitur ea quæ iniit anno XIX ante æram vulgarem, quo Caius Cæsar Octavianus Imperator *Augustus* dictus est.

(221) Qui emendato Calendario III fuisset, ut adnotavit doctus Petavius, ut n. 1, lib. XIII, p. 658.

(222) Faureus, ut n. 54, §. VIII, p. 439.

(223) Laudatis nummis obsignatos.

(224) Faureus, ut n. 54, §. VIII, p. 440.

Doctissimus Cardinalis Norisius, qui prior in nummis Antiochenorum sibi visus est deprehendisse æram hanc Augustæam, seu Actiacam, ingenuè fatetur de illa altum fuisse apud Scriptores silentium: hinc Diss. 3. de epochis Syro-macedonum cap. VIII. tom. 2. oper. in nummis, *inquit*, Antiochenorum alia epocha utrâque (*Pompeianâ & Cæsarianâ præter æram Seleucidarum*) superiùs descriptâ recentior occurrit, cujus nec vola nec vestigium apud Scriptores uspiam reperitur: *nihil est quod tam ad rem meam faciat, quam ingenua ista confessio. Cum ii numeri Antiochenorum numismatum 25, 26, 27, non usitatam ac celebrem jam antea epocham designent, sed novam quamdam non antea perspectam; quid est quod aliis divinando liceat ab anno Urbis conditæ* 723 (225) *numerare, nempe post Actiacam victoriam, mihi verò non liceat aliter interpretari? initio ducto quadriennio feriùs ab anno Varroniano Urbis* 727 (226), *quo anno consentientibus Chronologis ex Censorino & Dione apud Petavium lib.* 10 *de doctr. temp. cap.* 72. nova æra, *sive* anni Augusto-

rum

(225) Seu XXXI ante æram vulgarem.

(226) Seu XXVII ante æram vulgarem.

rum Romani incipiunt. Memorabilis, *inquit Petavius*, hic annus est... hactenus enim summum dòminatum vi, ac citrà consensum Civium usurparat... *cum*... deponere hoc anno voluisset, id effecit ut imperium sibi a Senatu, Populoque confirmaretur. Quod ut populare esse demonstraret, ita temperavit, ut provincias non omnes sibi sumeret, sed partem illarum populo permitteret, partem per Legatos suos administraret... quo circa novum ab hoc anno initium Imperii duxit Augustus. Nam & Imperium ipsi a S. P. Q. R. decretum, & Augusti nomen impositum, & gerendi in posterum Imperii forma quædam est, ac ratio constituta.

Jam verò quemadmodum (227) *si numeres ab anno Urbis conditæ* 723, *omnia egregiè quadrant in calculos Norisii ac Vaillantii contra æram vulgarem* (228), *ita si numeres ab anno Urbis* 727, *omnia perbellè cadunt in calculos meos, & æram vulgarem confirmant. Nam si anno* 727, *addas* 25, 26, 27, *triennium*

(227) Faurens, ut n. 54, §. VIII, p. 440.

(228) Id est, contra vulgarem Christi nativitatis annum.

nium præfecturæ Vari expletum est annis Urbis 752, 753, 754, qui postremus Vari annus, idemque mortis Herodis est etiam æræ vulgaris primus.

Nihil autem ad rem facit, subjungit R.P.Faure (229), *quod in eadem Dissertatione epoch. Syro-macedonum doctissimus Cardinalis expendat* (230) *nummos aliquos sub Sylano Syriæ præside cusos, in quibus numeri explicari non possunt, nisi designent epocham Antiochenam Actiacam. Esto id ita sit, quod tamen non omninò planum est, nec omnis difficultatis expers, satis mihi est, si nummi sub Varo cusi, quorum nexus est aliquis cum æra vulgari, interpretationem patiantur omninò aliam ab ea, quam Norisius ac Vaillantius conjecêre.* Hæc clarissimus Faure, sed malè omninò.

Nec enim jure aliquo dicere potest Norisii & Vaillantii argumenta nulla esse: majora enim Chronologis & Historicis afferre non licet.

Antiochenses æram Actiacam amplexos fuisse Augusti ætate, immò & Tiberii Impe-

(229) Faureus, ut n. 54, §. VIII, p. 440.
(230) Id. ibid. p. 441.

perio ineunte, quod tamen hîc probare minimè intendo (a), nos docent ipsissimi eorum num-

(a) Eminentissimus Norisius, Morellius & alii, veteres Antiochensium nummos Autonomos (vide Tab. I) ediderunt eum ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ, *sub Silano*, & annis ΒΜ, ΓΜ, ΔΜ; necnon imperiales cum capite Tiberii & ejusdem *Silani* nomine (vide Tab. 7), in quibus observantur anni ΓΜ, ΔΜ, ΕΜ, ΖΜ, idest, 42, 43, 44, 45, 47, qui certè, ut numismatologis omnibus persuasum est, indicant pariter æræ Actiacæ annos. Similes nummos videre mihi licuit in variis per Europam nummophylaciis: iis tamen adversus cl. Faurei sententiam non utar, quia si soli spectentur, anni, iis obsignati, ad suam fictitiam apud Antiochenses æram ab eo forsan traduci possent, præsertim cùm Tiberius in nonnullis Augustus appellatus fuerit etiam ante ipsius Octaviani Augusti mortem, ob scilicet æqualem omninò potestatem, quam a Senatu, postulante patre ejus, teste Vell. Paterculo *hist.* lib. II, art. CXXI, in Syria omnibusque provinciis obtinuerat anno Romano 765, seu XLII æræ Actiacæ, quo cusus est superior nummus cum anno ΒΜ.

Revera quidem Norisius *de epoch. Syro-maced.* Dissert. III, qui duos tantùm noverat ejusmodi Tiberii nummos, in quorum altero Α ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΒΜ legitur, in altero verò Γ ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΖΜ, existimavit eorum ope omninò demonstrari Antiochenses anno primo & tertio Tiberii

nummi, ipso tempore de quo loquimur, percussi. Plu-

rii imperii æra Actiaca fuisse usos: ait enim tom. II, col. 264, ubi duo numismata illa exhibet: *Et sanè Asiatici ac Syri, ut alios populos omittam, ab A. V. 723, quo Cæsar Augustus apud Actium victo Antonio, eas provincias sibi subdidit, annos Imperii ejusdem numerarunt. Hoc de Antiochenis ac proximis Seleucensibus ex eorumdem nummis demonstro.*

Sunt ambo, inquit, *nummi Tiberii: prior servatur in museo Mediceo ex locupletissima collectione Cardinalis Leopoldi; idemque visitur Mediolani in cimeliis Septalianis. Inscriptio anticæ partis latinè redditur:* Cæsar Augustus Augusti *filius. In alia parte legitur* Α ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΜ. anno primo sub Silano. Antiochensium. anno XLV. *Alter nummus ejusdem Tiberii cum eadem epigraphe anteriori cernitur in cimeliis illustrissimi D. Theodorici Bignonii libellorum supplicum magistri, & magni Regum maximi Concilii Præsidis. Postica inscriptio est:* Γ ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ. ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΖΜ. anno tertio. sub Silano. Seleucensium. anno XLVII. *Tacitus lib. 2 ann. recensens gesta A. V. 770, C. Cælio Rufo & L. Pomponio Flacco Coss. scribit:* Sed Tiberius demoverat Syria Creticum Silanum per adfinitatem connexum Germanico, quia Silani filia Neroni vetustissimo liberorum ejus pacta erat.

In utroque nummo, prosequitur Norisius, *signantur anni imperantis Tiberii, & anni insuper epochæ ab in-*

Plura cognoscimus Antiochensium vetera numismata, in honorem Imperatoris Augu-

sti

---

imperio Augusti in Syria. Nam ab autumno A. V. 723 numerando annos XLV, in nummo Antiochenorum Mediceo obsignatos, erimus ad A. V. 768, quo usque ad diem 19 Augusti primus annus imperii Tiberii decurrebat, qui in eodem nummo componitur cum anno imperii Augustei in Syria XLV. rursus numerando ab eodem A. V. 723 annos imperii Augusti XLVII, in altero nummo Seleucensium scalptos, devenimus ad A. V. 770, quo usque ad memoratam diem 19. Augusti annus imperii Tiberii tertius labebatur, ut in eodem numismate notatur.

Verum erravit vir præstantissimus, existimans elementa Α & Γ in his nummis annos Tiberii imperii exhibere; & licet ibidem addiderit: *equidem nisi contentiosus ac vitilitigandi cupidus negare possit illis literis A in nummo Antiochensium, ac Γ in alio Seleucensium annum primum ac tertium principatùs Tiberii significari*; id tamen omninò nego, quamquam vitilitigandi minime cupidus, negassetque ipsemet Norisius, si ei nota fuissent Antiochensium numismata, in honorem Tiberii cusa, quæ Tabula 7 exhibeo ex Morellio, & in quibus cernitur Α cum ΓΜ, ΔΜ, ΕΜ, ΖΜ, id est, 43, 44, 45, 47. Si enim Α ibi indicaret annum primum Tiberii, componendus esset cum annis 43, 44, 45, & 47 æræ Actiacæ, quod est omnino impossibile. Idem elementum Α in nummis Autono-

mis,

ſti cuſa, quibus perſpectis diceres eos aliquomodo prævidiſſe futurum R. P. Faure errorem, cùm præter conſuetudinem ſe æerâ Actiacâ uti in iis teſtificati fuerint, immò & probaverint.

Omiſſis quæ in variis per Europam nummo-phylaciis contemplatus ſum, unum tantum deſcribam ex argento, æri demandatum a diligentiſſimo Morellio (231). In antica parte cernitur caput Auguſti laureatum, lævam verſùs, cum epigraphe **ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ**, id eſt, *Cæſaris Auguſti*. In poſtica verò depictus eſt muliebris Antiochenſium genius, Orontis natantis figuræ pedem imponens, cum epigraphe **ΕΤΟΥΣ ≍Κ ΝΙΚΗΣ ΥΠΑ ΙΒ**, id eſt, *anno XXVI victoriæ conſ. XII* (*b*).

Com-

mis, apud celeberrimum numiſmatologum Pellerinium, obſervatur cum annis EIP, ZOP & ZC, quibuſcum certè copulari non poteſt. Hæc igitur elementa A & Γ in laudatis nummis annos minimè ſignificant, ſed quid aliud nobis incompertum.

(231) Andr. Morellius *Specim. univ. rei numm. ant.* Tab. IV, num. I, edit. Lipſiæ MDCXCV, in 8.

(*b*) Vide Tab. V. ubi nummi alii cum annis ejuſdem æræ Actiacæ ZK, ΘK, Λ, ≍Λ, ideſt, 27, 29, 30, 36.

Complures nummi similes Augustei reperiuntur, inquit idem Morellius (232), *sed qui in annis & consulatibus variant*. Nunc sufficiat unicus jam descriptus.

In eo obsignarunt Antiochenses *annum XXVI victoriæ*. Cujus porrò victoriæ, nisi celeberrimæ Actiacæ, quâ, victo Antonio, Cæsar Octavianus rerum summâ solus potitus est? Verùm ut omne tollerent dubium, cum anno *XXVI victoriæ* notarunt Augusti *Consulatum XII*, ergo nummus cusus est *anno victoriæ XXVI*, *quo Consul XII erat Augustus*. Annus igitur Augusti Consulatûs XII idem est ac annus XXVI æræ, quâ Augusti ætate utebantur Antiochenses. Augustum porrò Consulem fuisse *duodecimùm* anno V ante æram vulgarem, 4709 periodi Julianæ, seu 749 æræ Romanæ, fatentur omnes insignes Chronologi, licet ad Antiochensium nummos minimè attendissent. Nunc si anno 4683 periodi Julianæ, seu 723 æræ Romanæ, quo ab Augusto Actii victus est Antonius, addideris annos XXVI, habebis 4709 periodi Julianæ, seu 749 æræ Romanæ, qui est quin-

H tus

(232) Id. ibid. p. 50.

tus ante æram vulgarem: evidens eſt igitur annos, Antiochenſium nummis obſignatos Auguſti ætate a victoria Actiaca eſſe numerandos, non autem ab æra Auguſtana, quæ iniit quadriennio feriùs, anno ſcilicet Romano 727, ſeu XXVII ante æram vulgarem.

Si argumentum illud cl. Faureo nullum ſit, conticeſco. Si enim ejuſmodi rationes nullæ ſint, ubi majores in re chronologica inveniet? Iis aliiſque edocti eruditus Vaillantius Eminentiſſimuſque Cardinalis Noriſius non *divinantes*, uti ſcribit idem cl. Faureus, ſed certò ſcientes annos, ſuperioribus nummis obſignatos, a victoria Actiaca numeravêre.

Reverà quidem nullum hujus Antiochenſium æræ veſtigium apud Scriptores uſpiam reperitur. Quid inde? quis hodie ignorat quamplurima in veterum ſcriptis numiſmatum antiquorum ope fuiſſe ſuppleta aut correcta?



CO-

COROLLARIUM VI.

Perperam, in narrandis rebus Herodianis, Josephi auctoritatem carpere conantur Ricciolius & alii.

Quamplurimi Theologi Chronologique, re non examinatâ, Dionysii exigui aliorumve falsam de Christi nativitatis anno sententiam amplexi, Josephi auctoritatem, quâ in eo anno assignando uti præsertim debuissent, cùm vetera monumenta & numismata nondum cognovissent, carpere ac elevare conati sunt, utpote sibi omninò contrariam.

Eorum autem omnium, qui in Josephum debacchantur, Princeps censendus est R.P. Ricciolius, qui omnium argumenta collegit, ut Josephum sibi contradicentem, ac proinde nullâ fide esse dignum ostenderet. Hæc igitur argumenta perpendamus.

I. Inquit Ricciolius (235), *narrat Josephus lib. XIV. antiquit. c. 15, C. Julium Cæ-*

 sa-

(235) Jo. Bapt. Ricciolius *Chronol. reform.* tom. I, lib. VI, cap. XIV, p. 286, edit. Bononiæ MDCLXIX, in fol.

ſarem confecto bello Alexandrino, cùm eſſet in Syria, Antipatro idumæo optionem dediſſe cujuſcumque Dynaſtiæ, eumque creaſſe procuratorem Judææ, ipſum verò Antipatrum, capite 17 refert, duos natu majores filios regimini applicuiſſe dicens: Phaſælum e liberis ſuis natu maximum Hieroſolymis, & circumvicinæ regioni ducem conſtituit, Herodi ſecundo genito Galilæam regendam commiſit, etiam tum maximè adoleſcenti, utpote annos quindecim tantummodò nato. Quod tamen nihil illi obfuit, ſed quia erat generoſo ingenio præditus &c. *De anno Romano, quo hæc geſta ſunt, nemo dubitat, cùm e faſtis conſularibus geſtiſque Cæſaris conſtet fuiſſe ſub Conſulibus Caleno & Vatinio inter 2 & 3 Conſulatum Cæſaris, atque adeò ante epocham Chriſti annum 47, ſeu 2 ante Julianum primum. Aſſerit præterea Joſephus lib. 17 antiq. cap. 8, & lib. 1 de bello Judaico cap. ult. Herodem hunc mortuum eſſe, cùm accederet* ad annum ætatis ſeptuageſimum. *Ergo ſi anno 47 ante epocham Chriſti vulgarem habebat annos 15, & in morte annos 70 attingebat, ſequitur eum natum eſſe anno 62 ante epocham Chriſti, & mortuum eſſe anno epo-*

epochæ Christi 7, *id est*, *Juliano* 52. (Quod certè ipsimet Josepho adversatur).

Id argumentum est omnium sanè validius, quæ ad elevandam Josephi auctoritatem proponere possint ejus adversarii. Nihilominus tamen, ut jam adnotarunt viri quidam præstantissimi, nullus est hic Josephi error, sed alicujus tantùm ex primis ejus Librariis, qui græcos codices transcribens, haud dubiè scripsit IE, id est, *quindecim*, pro KE, *vigintiquinque*, negligenter omissis cruribus, seu brachiis elementi K, quod sanè facillimum esse nemo inficias ibit. Id porrò ita factum omninò suadet concordia annorum a Josepho adnotatorum. Si enim Herodes anno XLVII ante æram vulgarem egerit XXV ætatis annum, natus erat anno LXXII ante æram vulgarem, seu 4642 periodi Julianæ. Nunc, si 4642, aut potius 4641, cùm 4642 fuerit primus ætatis Herodis, addideris 70, habebis 4711 periodi Julianæ, seu 3 ante æram vulgarem. Porrò cùm ex altero Josephi computo, de quo superiùs Propositione I, Herodes obierit anno IV ante eamdem æram, verum scripsit Josephus *quod Herodes jam ad septuagesimum ætatis annum accederet*.

Ne

Ne igitur triumphet Ricciolius, ſubnectens (236): *quod ſi hinc aliquid repugnans Joſephi aſſertis, alibi deducitur, hoc ipſum eſt quod contendimus, ut tandem teſti inconſtanti, & ſibi repugnanti fidem adhibendam non eſſe concludamus*. Quid enim de Ricciolii libris fieret, ſi eos eodem modo trutinaremur?

Si præterea reputemus Joſephi Chronologiam Herodianam omninò convenire cum antiquis Scriptoribus græcis & latinis, cum tabulis aſtronomicis, cum veteribus nummis a variis populis & Principibus cuſis, & cum inſcriptionibus marmoreis, ut ſuperiùs jam oſtendi, nemo ſanè attendet ad ſupradictum Librariorum errorem, qui etiamſi eſſet ipſius auctoris, ne minimè quidem elevaret ejus auctoritatem. Error enim in ſupputandis Principis ætatis annis, parùm ſanè officit narratæ Hiſtoriæ veritati.

II. Proſequitur Ricciolius (237), *refert Joſephus lib. XV antiq. cap.* 10, *anno illo, quo Auguſtus, extincto Antonio, & Cleopatra, verſabatur Rhodi, veniſſe ad ipſum Herodem*

(236) Id. ibid.
(237) Id. ibid.

dem, ac depoſito diademate confeſſum eſſe, ſe partes Marci Antonii tutatum eſſe, & impetraſſe Regni confirmationem ab Auguſto & per eum a Senatu. Cùm ergò Herodes deinceps omnia quæ haberet accepta referret Auguſto, valdè probabile ſit Baronio, eum non debuiſſe numerare annos Regni ſui a priſtino Senatûs Conſulto per Antonium impetrato; tum ne Auguſtum offenderet; tum quia Senatus omnia Antonii acta reſciderat tamquam a perduelle & hoſte Reipublicæ facta, vel obtenta. Ergò anni illi XXXVII, quos regnaſſe Herodem ſciebat, debuit computare ab hoc ſecundo Senatûs conſulto: extinctum porrò Antonium & Cleopatram anno 30 ante epocham Chriſti oſtendimus lib. 4, c. 7. Ergò inde numerando annos 37, caderet finis eorum, & Herodis in annum 7 epochæ Chriſti, & Julianum 52, ut ſupra.

Verùm nemo non videt hîc nugari Ricciolium. Joſephus enim hiſtoriam ſui ſeculi ſcribere non debuit ſecundum ſyſtema, quod amplexurus erat R. P. Ricciolius poſt ſexdecim ſecula, ſed ſecundum quæ vidit; aut quæ ſcripta invenit a teſtibus oculatis. De errore laudati Baronii dicam inferiùs Corol-

lario XIII. Sufficiat hîc contra Ricciolium iſtud argumentum: omiſſis aliis veteribus monumentis, quibuſcum omninò convenit Joſephus, ut patet ex ſuperiori Propoſitione I, certum eſt ex ſupra deſcriptis antiquis Herodis Antipæ nummis, eum Tetrarcham fuiſſe per XLIV annos poſt mortem Patris Herodis Magni: atqui certum eſt etiam eum in exilium detruſum fuiſſe ac Tetrarchiâ exſpoliatum ab Imperatore Caio Caligulâ, qui obiit anno XLI æræ vulgaris; ergò Herodes Magnus jam ſaltem a tribus annis mortuus erat ante initium ejuſdem æræ: proindeque certum eſt eum non obiiſſe anno VII ejuſdem æræ, ut vellet Ricciolius, ſed anno IV ante eamdem æram, ut probavi Propoſitione ſuperiori, etiam ex Joſepho.

III. Joſephus ſcribit., inquit Cardinalis Noriſius (238), Hieroſolymam *expugnatam in Conſulatu Marci Agrippæ & Canidii Galli. Canidia gens Romæ a Caninia erat diverſa, ac rectè Dioni in Indice lib.* 48, *collega Agrippæ dicitur L. Caninius L. F. Gallus. Etenim Gallus erat cognomen gentis Caniniæ.*

Re-

(238) Noriſius, ut n. 121, col. 231.

Reverà quidem apud Josephum (239) legitur *Canidii* pro *Caninii*; at quis non videt elementum unum ibi mutatum esse Librariorum incuriâ? Si ob ejusmodi errores fides Scriptoribus esset deneganda, nemini sanè credendum.

IV. *Josephus peccat*, subjungit Norisius (240) *in annis supputandis a captis Hierosolymis a Pompeio usque ad eamdem urbem iterùm a Sosio expugnatam, scribens eosdem fuisse viginti septem completos. Pompeius Hierosolymam in potestatem P. R. redegit C. Antonio ac Tullio Cicerone Coss. ex eodem Josepho l. XIV, cap. 8, & Dione lib. 37, nempe A. V. 691* (LXIII ante æram vulgarem). *Si verò dicatur eadem rursus capta M. Agrippa & Caninio Gallo Coss. A. V. 717, anni tantum sex supra viginti inter utramque expugnationem numerantur.*

Verùm, Josephi peccatum facilè condonandum. Non enim præcisè dicit *annos completos*, sed, ut sæpè alii Historici, annos in-

(239) Josephus, ut n. 67, lib. XIV, cap. XXVIII, p. 432.

(240) Norisius, ut n. 121, col. 231.

incompletos *annos* ſimpliciter appellat, & in ſummam confert. Porro Joſephus, ut dicturus ſum Corollario VIII, annos Regum ſuorum, & haud dubiè rerum geſtarum, numerabat ab ineunte ſacro Judæorum anno, menſe circiter Martio noſtro. Si igitur a Martio anni Romani 691 numeres XXVII annos, vigeſimi ſeptimi initium habebis Martio anni 717, cujus menſe tertio, aut circiter Maio Juniove noſtro a Soſio & Herode iterùm expugnata eſt Hieroſolyma, ut oſtendi ſuperius Corollario IV. Non ergò tantum Joſephi peccatum!

V. In anno Hieroſolymorum expugnationis *Joſephum erraſſe*, ait Noriſius (241), *mihi pariter compertum eſt. Nam ex ipſius ſcriptis Herodi ab accepto Regno a Romanis A. V.* 714 *ad captam Hieroſolymam, una tantum & altera hiems exacta colligitur; quod miror neminem hùcuſque obſervaſſe. Igitur anno Urbis* 716 *Herodes Hieroſolymam armis occupavit*, non vero anno 717, ut ſcribit Joſephus.

Verùm jam oſtendi ſuperiùs Corollario IV, Joſephum primæ hiemis non memi-

(241) Id. ibid.

minisse; quod mirum videri non debet, cùm etiam aliquot Syriæ præsides prætermiserit, & Herodes eâ hieme nihil notatu dignum egerit.

Monstratum est, subdit Norisius (242), *Herodem A. V. 715 Samosatis in Palæstinam reversum, quinque parva oppida nullo negotio occupasse, ac signis cum Pappo Antigoni duce collatis, insignem victoriam reportasse. Quæ autem A. V. 716 gessit? Josephus post illam pugnam scribit prohibitum Herodem* hiemis asperitate, *ne Hierosolymam obsideret, quam demùm coronâ militari vallavit, expugnavitque M. Agrippa & L. Caninio Coss. si Josepho fides præstatur: ac proinde toto A. V. 716 Herodes positis armis, ansatus domi sedit, ac Sosius cum XI legionibus otiosus in Syria fuit; cùm tamen Dio scribat altero A. 717 Sosium otio indulsisse.*

Verùm ea etiam evanescunt ex dictis superiùs Corollario IV, ubi ostendi errasse ipsum Norisium, non verò Josephum, in assignandis annis, quibus Parthi a Romanis superati sunt, & a quibus pendet assignatio

(242) Id. ibid.

tio anni quo expugnata fuit Hierosolyma.

Ex eodem Corollario patet etiam quàm perperam dixerit Norisius (243), aliàs eruditissimus, Josephum scripsisse *Herodem anno tertio, postquam Romæ declaratus fuerat Rex, castra propè Hierosolymam metatum, cùm altero anno scribere debuisset*. Ex dictis enim eò loci intelligitur tertium Herodis annum jam in finem vergisse, immò completum fuisse more Judæorum, constatque Josephum de Chronologia Herodiana apprimè edoctum fuisse.

Ejusdem farinæ est quod subdit Norisius (244): *Josephus annum captæ urbis* (Hierosolymitanæ) *illum putavit, quo annus Sabbaticus exibat, cum reapse fuerit A. V. 716, quo paulò post Urbem expugnatam, Sabbaticus inchoatus est*. Eos enim errores apud Josephum credidit Norisius, quia ipsemet erravit assignans annum posterioris Hierosolymorum expugnationis. Urbs enim capta est anno XXXVII ante æram vulgarem, seu Romano 717, ut ostendi laudato Corollario IV; non

(243) Id. Ibid. col. 232.
(244) Id. ibid.

non verò anno præcedente, ut minus benè contendit Norisius.

VI. Si anni 37 Regni Herodis, inquit Ricciolius (245), *computandi fuerunt non a declaratione prima per Senatum facta, interim enim nondum reipsa regnabat, sed regnabat adhuc Antigonus; sed ab extincto Antigono; cùm id evenerit anno, ut diximus, Juliano 9, additis 37, consurgit annus Julianus 46*, (æræ vulgaris primus), *quo Christus est circumcisus, & Herodes obiit; inde autem computandos esse debebat Josephus discere a seipso lib.* 14, *cap.* 28, *dicente:* Antigono sublato, Assamonæorum principatus desiit post annos 126, idque ad Herodem transiit, *immò ab ipso Herode, qui non aliunde numerabat quando, ut refert Josephus lib.* 17 *antiq. cap.* 8, commemorabat Herodes templum impendiis suis ingentibus instauratum, nec Assamonæos potuisse annis 126, quibus regnaverant, tale aliquid in honorem Dei perficere. *Ergò si regnarunt Assamonæi usque ad Antigoni mortem, inde tantùm anni Regni Herodis, & quidem 37 videntur computandi.* No-

(245) Ricciolius, ut n. 235, p. 287.

Nobis autem sufficit ostendisse manifestam repugnantiam Josephi cum seipso.

Proh Deus! hæc est manifesta repugnantia Josephi cum seipso! omittas, quæso, superiorem Librariorum errorem IE pro KE, de qua Sectione I, & quæras repugnantia. Ubi sunt? quid? quia Josephus numerat XXXVII annos a Consulatu Calvini & Pollionis, anno XL ante æram vulgarem, quo Judææ Rex a Romanis declaratus est, ad ejus mortem; & Antigoni Regnum protrahit ad annum XXXVII ante eamdem æram, continuò ut sibi contradicens prædicandus est? non potuit Herodes declarari Judææ Rex a Senatu Romano anno XL ante æram vulgarem, & tamen rerum summâ non potiri nisi post triennium, quia Judæam adhuc occupabat Antigonus, & in ea regnabat? numquid tempora non distinguit Josephus? Herodes inquit, *vitâ defunctus est post detrusum Regno Antigonum anno trigesimo quarto, ex quo autem a Romanis Rex declaratus est anno trigesimo septimo*. Ergò ex Josepho regnavit Antigonus triennio postquam Herodes a Senatu Romano Judææ Rex declaratus est, nec ille rerum summâ potitus est nisi paulò an-

ante mortem illius. Verùm Herodes a detruso Antigono regnavit tantùm XXXIV annos, ut nos docet Josephus, non verò XXXVII, ut vellet Ricciolius.

Unde enim didicerunt Baronius, & ipsum sequutus Ricciolius, Herodem regnasse annos XXXVII nisi a Josepho? Sed si a Josepho illud habuerint, cur a Consulatu Calvini & Pollionis, anno XL ante æram vulgarem, annos illos XXXVII, uti Josephus fecit, numerare recusant? quia, inquiunt (246) *cùm in confesso esset apud omnes, Herodis Regni annos triginta septem esse adnumeratos, factum est ut* Josephus malè *ad primam institutionem Romæ sub prædictis Consulibus factam, verterit oculos, & ab eo tempore numerare cœperit annos Regni ipsius Herodis*. Ast quâ ratione Josephum deceptum volunt in assignando initio illorum XXXVII annorum? quia propriæ sententiæ, aut potiùs errori circa Christi nativitatis annum, ejus auctoritatem accommodare nequeunt. Optima eis sit hæc ratio, aliis certè probata non erit.

(246) Baronius, ut n. 44, p. 52. Idem innuit Ricciolius, ut n. 235, p. 288.

erit. Hinc Josephus, ex Ricciolio (247), annos illos XXXVII numerare debuisset a detruso Antigono, ut Herodis mortem scribere potuisset anno primo æræ vulgaris, paulò post Christi nativitatem, quam exeunte anno præcedenti factam perperam contendit Ricciolius cum Labbeo, ut dicam inferiùs Propositionis IV Corollario XV. E contra verò Josephus, ex Baronio, XXXVII illos annos numerare debuit ab *eo ipso anno* (248) *quo Augustus navali bello Antonium & Cleopatram debellavit, eodem Augusto tertiùm & Messalâ Consulibus, Olympiade centesimâ octogesimâ septimâ, anno secundo*, seu XXXI ante æram vulgarem, quo Herodem ab Augusto & Senatûs Consulto Judææ Regem confirmatum falsò asserit Baronius, ut dicturus sum infra Corollario XIII.

Multis igitur modis, & a variis temporibus, annos illos XXXVII Regni Herodis numerare debuisset Josephus, ut, contemptâ veritate, futurorum Chronologorum arbitrio satisfacere posset. Ast respondeant mihi, ama-

(247) Ricciolius ibid. p. 287.

(248) Baronius, ut n. 44, p. 53.

amabo: quis meliùs ſcire potuit quàm Joſephus, an anni Regni Herodis XXXVII a Conſulatu Calvini & Pollionis deducti fuerint? erat enim, ut inquit Torniellus (249), natione Judæus, hiſtoriæ Judaicæ peritiſſimus, & ipſius Herodis tempori valdè proximus, atque in geſtis ejus ſtudioſiùs perquirendis, ac deſcribendis omnium diligentiſſimus. At ſi ab Actiaca pugna, ut affirmat Baronius, aut a detruſo Antigono, ut vult Ricciolius, primus annus Regni Herodis, & reliqui deinceps ſigillatim in publicis monumentis adnotari cœpiſſent; mirum valdè eſſet quòd rem tam novam, & tunc temporis adeò pervulgatam ignorare potuiſſent tres rerum Judaicarum peritiſſimi, nimirùm Joſephus, & ante ipſum Philo, qui fuit Herodis temporibus proximior; & ante Philonem Nicolaus Damaſcenus, Scriptor egregius, ſæpiùs a Joſepho citatus; qui fuit Herodis contemporaneus & familiariſſimus, eidemque ſuperſtes, quique non minùs Judæorum quàm Romanorum res callebat. Vel ſi eos id non latuit; quî fieri poteſt, ut rem

 adeò

(249) Torniellus, ut n. 46, ann. 4051, p. 609.

adeò notabilem omninò prætererint ? nec uſpiam quis eorum Herodis Regni annos ab Actiaca pugna putaverit ? aut quod nullus alius ex antiquis Scriptoribus, hâc de re quidquam meminerit ? Sed eſto, occulta quadam de cauſa id evenerit : ſaltem non omninò oppoſitum ſcripſiſſet, replicaſſetque Joſephus, qui duo tantùm initia Regni Herodis memorat; alterum ab adepto Regni titulo; alterum, a conſequuta Regni poſſeſſione : ſingulaque propriis Conſulum Olympiadarumque notis ſignat : atque a primo ad obitum Regis numerat annos triginta ſeptem; ab altero autem triginta quatuor.

Iis addas veteribus monumentis græcis & latinis omninò convenire Joſephi narrationem, iis verò penitus diſſentire Baronii & Ricciolii opiniones, ut dicam inferiùs præſertim Corollario XIII, & videas nùm illis potiuſquàm Joſepho credendum ſit.



CO-

COROLLARIUM VII.

Errat Norisius scribens Herodem Magnum obiisse autumno anni IV ante æram vulgarem.

EMinentissimus Cardinalis Norisius, Usserium (250) ferè sequutus, non attendens Josephum Herodis Regni annos numerasse ab initio sacri Judæorum anni, existimavit eum obiisse anno quidem 750 Romano, seu IV ante æram vulgarem, sed autumni tempore, non verò mense Martio, ut probavi superiùs. *Constat*, inquit (251), *Herodem A. V. Romæ 714 Cn. Domitio Calvino II & C. Asinio Pollione Consulibus, Antonii ac Cæsaris Octaviani operâ, a Senatu Regnum obtinuisse, & quidem inito autumno. Hinc annus Regni ejusdem XXXVII iniit per autumnum A. V. 750 C. Calvisio Sabino II, L. Passieno Rufo Coss. quo etiam decessit*. Et alibi (252): *auctor est Josephus filios Herodis de paterni*

(250) Usserius, ut n. 171, ad ann. mundi 4001, p. 602, ubi ait Herodem obiisse *circa Novembris nostri diem 25, septimo videlicet Cisleui mensis*.

(251) Norisius, ut n. 121, tom. II, *de nummo Herod. Antipæ*, col. 648.

(252) Id. ut n. 121, col. 257.

Regni successione litigantes, Romam ad Augustum integram causam detulisse, Augustum verò in amicorum concilio rem discussisse, Nicolao Damasceno Archelai causam defendente. Hæc de Augusto scribit Josephus lib. 17, *c.* 12, *interprete Gelenio*: Amicos in consilium advocat, & in his Caium Agrippæ & Juliæ filiæ suæ filium, jam a se adoptatum, primum ei locum in concistorio tribuens. *Hoc judicium habitum est A. V.* 251, *ita ut nec in annum superiorem, nec in quempiam proximè insequentium protrahi possit. Primum illud infertur ex annis Herodis: siquidem A. V.* 750 *mense Octobris complevit annum Regni a Romanis dati XXXVI: quare etiamsi vixisset alterum mensem ac decessisset die circiter* 25. *Novembris, inito anno trigesimo septimo, quæ est Usserii sententia, causa successionis Regni anno V.* 751 *agitata fuisset. Nam Archelaus, celebrato apud Hierosolymam Paschate, Romam navigavit ad Augustum.*

Verùm hîc tres errores scripsit Norisius, I. nempe Herodem Magnum obiisse autumno anni 750 Romani, seu IV ante æram vulgarem; II. Archelaum Hierosolymis Paschate celebrato anno sequenti Romam navigasse;

gaffe; & III. Augufti judicium de Herodis fucceffione eodem anno habitum fuiffe, nec ad fuperiorem protrahi poffe. Ex dictis enim fuperiùs Propofitionis I Sectione III, omninò patet Herodem obiiffe menfe Martio anni IV ante æram vulgarem, & ante Pentecoften ejufdem anni Archelaum Romam navigaffe, ac confequenter Auguftum de Herodis fucceffione judicium eodem anno ferre potuiffe.

Nec obftat, quod ait Norifius, Herodem menfe tantùm Octobri anni IV ante æram vulgarem, compleviffe annum Regni a Romanis dati XXXVI, tuncque iniiffe annum XXXVII. Jofephus enim, ut patet ex inferiori Corollario VIII, annos XXXVII Regni Herodis non numeravit ab eo die, quo a Senatu Romano Judææ Regnum obtinuit, fed a menfe Nifan, patrio more; proindeque ad rem nihil facit ratio Norifiana.

Alia contra Norifii opinionem argumenta attulit eruditus Vaillantius: verùm illa omitto, quia nihil ex illis (253) concluditur.

 Cùm

(253) Vaillantius, ut n. I, p. 201 & feqq., fufiùs probare contendit Herodem non obiiffe autumnali

Cum Norisio porro, cujus sententiam amplexi sunt, errarunt Reverendi Patres Stampa

li tempore, sed Martio mense anni IV ante æram vulgarem; quia ut superiùs jam ostendi Propositionis I Sectione IV, Archelaus, Herodis successor & filius, trans Alpes fuit relegatus anno Romano 759, Marco Æmilio Lepido & L. Arruntio Consulibus, teste Dione, jam inito decimo Ethnarchiæ anno, teste Josepho. *Igitur*, inquit Vaillantius ibid. p. 201, *Archelaus Romam suum iter differre non potuit in annum Romanum 751*, seu III ante æram vulgarem; *unde omnino patet Herodis mortem contigisse anno 750 Romano, mense Martio, cùm ejus filius regnaverit novem tantùm annos, non autem decem completos*.

Verùm, quod animo intendit, minimè probat. Non enim a firmato Patris testamento ab Augusto, sed ab Herodis Magni obitu annos Archelai computare debuisset Vaillantius, ut, pagina sequente, reverà computat Herodis Antipæ annos, dicens: *in dubium minimè vocari potest quin Herodes Tetrarcha sui Principatus annos numeraverit a die obitus Patris*, Herodis Magni. Porrò si Herodes Magnus obiisset ineunte autumno anni IV ante æram vulgarem, Archelaus decimum Principatus annum iniisset autumno anni VI æræ vulgaris, Lepido & Arruntio Consulibus, potuissetque exilio affici ante finem ejusdem autumni. Non igitur Vaillantii argumento probatur He-

pa (254) & Antonius Pagius (255).

Eorum errori anſam jam dederat Jacobus Uſſerius, qui, ut probet Herodem Magnum obiiſſe menſe noſtro Novembri, ait eum mortuum die ſeptimo menſis Casleu, ſeu Cislevi, *qui idcircò*, inquit (256), *a Judæis ut dies lætus & feſtivus celebratur, quòd in eo Herodes, qui ſapientes odio proſequutus eſt, mortem obierit, ut ex* volumine jejunii, *in*

Herodis Magni obitum ad autumnum anni IV ante æram vulgarem differri non poſſe.

Quid plura? Ex immediatè ſequenti Corollario VIII, conſtat Joſephum Judæorum principum annos computaſſe a menſe Martio præcedente. Non ergò ex annis Principatus Archelai concludi poteſt menſis obitus Herodis, ſed annus tantùm.

Hinc patet etiam futilia eſſe argumenta, quæ, ad idem probandum, deducit Vaillantius ex anno cenſus, a Quirinio facti, & ex nummis Herodis Antipæ. Iis enim rectè demonſtratur Herodem Magnum mortuum eſſe anno 750 Romano, ſeu IV ante æram vulgarem, ſed quo menſe minimè probari poteſt.

(254) Joſ. Mar. Stampa in Carol. Sigonium *Oper. omn.* tom. I, *comment. in faſt.* col. 588, edit. Mediolani MDCCXXXII, in fol.

(255) Pagius, ut n. 140, p. 35.

(256) Uſſerius, ut n. 171, ann. mundi 4001, p. 602.

Chronologia sua notavit Edovardus Liveleius, vir doctissimus.

Hæc quidem Judæorum festivitas contra Josephi narrationem parit difficultatem, quam omnium maximam credidi, quamque directè solvere in vanum tentavi. Minimè tamen dubito quin rebus Judaicis eruditiores nodum facile expedire possint. Non enim mihi videtur Josephum, Herodianarum rerum peritissimum, ac veteribus monumentis, Scriptoribusque antiquis consentaneum, errare potuisse in re, quam fusiori calamo scripsit, & cujus tot circumstantias adnotavit.

Josepho igitur, Scriptori ferè coætaneo, ac testis oculati Nicolai Damasceni commentarios præ manibus habenti, fides potiùs sanè habenda quam Judæorum Kalendario, pluribus seculis post Herodis obitum exarato; in quo notatur festum ob memoriam Herodis sublati, longo post ejus mortem tempore institutum, ac die VII Casleu ob rationes nobis ignotas stabilitum. Judæi enim festum illud non celebrassent sanè viventibus Herodis filiis, & nemo ignorat nos Christianos Catholico-Romanos celebrare se-

festa obitûs plurimorum Sanctorum quibusdam diebus, quibus certè non sunt mortui.

Id quidem lectori erudito non omninò forsan satisfaciet. Si tamen ad omnia attendat, Josephi narrationis veritate convictus erit. Nihilominus si dubitatio aliqua in mente remaneret, de ea prorsus non laborarem. Ad annum enim Christi nativitatis investigandum mihi sufficit quod Herodes Magnus e vivis sublatus fuerit anno IV ante æram vulgarem, ut reipsâ demonstravi. quo autem die, quo mense minimè interest.

COROLLARIUM VIII.

Anni Herodis Regni, a Josepho annumerati, ab ineunte anno sacro, seu mense nostro Martio, computandi sunt.

MAgnos rumores excitarunt in Chronologorum Republica, anni, quos Herodis Magni Regno adscripsit Josephus, XXXVII nempe *ex quo a Romanis Rex appellatus fuerat, & XXXIV a detruso Antigono*. Alii illos completos esse voluerunt, alii verò tantùm inchoatos; isti a vere anni XL ante æram vulgarem eos computarunt; illi ve-

verò ab autumno. Hic eorum initium ducit a victoria Actiaca, ille XXXVII numerat a detruso Antigono, & aliter alii, qui, aliquam amplexi de Christi nativitatis anno sententiam, ei Josephi auctoritatem accommodare conati sunt, cùm potiùs opinionem suam Josephi dictis accommodare debuissent, utpote Scriptori omnium emunctissimæ naris.

De variis illis opinionibus, aut potius erroribus, jam dixi superiùs, aut inferiùs dicturus sum. Hîc de initio tantùm illorum annorum verba faciam, demonstrando Josephum a Martio nostro Regni Herodis annorum initium duxisse patrio more, non autem a die quo Regnum obtinuit, quod minùs benè scripserunt celeberrimi recentiores Chronologi.

Certum est enim omninò ex Corollariis I & III Herodem a Romanis Judææ Regem fuisse declaratum exeunte Septembri aut ineunte Octobri anni XL ante æram vulgarem, seu 4674 periodi Julianæ. Certum est etiam ex Propositionis I Sectione III eumdem Principem obiisse mense Martio anni IV ante æram vulgarem, seu 4710 periodi Julianæ. Porro si ab exeunte Septembri anni

ni 4674 periodi Julianæ numerares XXXVII annos, trigesimi septimi initium non haberes nisi ineunte Octobri anni 4710, Herode jam mortuo a pluribus mensibus. Non igitur ab impetrato Regno annos illos computavit Josephus, sed ab ineunte anno Judæorum sacro, cujus primus mensis, Nisan dictus, Martio nostro partim respondet.

Idem dicendum de annis XXXIV, quibus regnavit Herodes a detruso Antigono. Victus est enim Antigonus, teste Josepho (257), & Hierosolyma capta, Consulibus Marco Agrippâ & Canidio Gallo, mense tertio, id est, anno Romano 717, seu XXXVII ante æram vulgarem, mense Judaico Sivan, seu Maio nostro. Porro si a Maio anni Romani 717 numerares XXXIV annos, anni trigesimi quarti initium non haberes nisi Maio anni Romani 750, seu IV ante æram vulgarem, Herode jam mortuo a tribus ferè mensibus. Nec igitur illos XXXIV annos numeravit Josephus a detruso Antigono, sed ab ineunte sacro Judæorum anno, ut mos erat Judæorum.

Ii

(257) Josephus, ut n. 67, lib. XIV. cap. XXVIII, p. 432.

Ii enim, ut ipſimet teſtantur in Miſchna (258), annos Regum ſuorum putarunt a menſe Niſan, ſeu Martio noſtro, cujus Lunâ ſacer incipiebat annus; ita ut, ſi quis Regnum obtineret menſe Adar, ſeu Februario noſtro, qui erat ultimus anni ſacri, a Niſan immediatè ſequenti alter ejuſdem Regni annus ſupputaretur. Non mirum igitur ſi Joſephus, utpote Judæus, ab eodem menſe putaverit Herodis annos.

Quod autem res ita ſit omninò demonſtratur iſto argumento. Ex dictis & dicendis, Joſephi præſertim & nummorum veterum auctoritate, conſtat I. Herodem Magnum a Romanis Judææ Regnum obtinuiſſe anno XL ante æram vulgarem, ſeu 4674 periodi Julianæ, exeunte circiter Septembri, & regnaſſe XXXVII annis; II. Herodem Antipam, ejus filium, exulaſſe ante Septembrem anni XL æræ vulgaris, 4753 periodi Julianæ, & a morte Patris, Tetrarchiâ ſuâ fuiſſe potitum per XLIV annos. Regnarunt igitur an-

(258) Miſchna, Tract. *Roſch Haſchana*, cap. I, Sect. I, apud Hier. a Bennetis *Chronol. & critic.* t. I, part. I, prolegom. II, cap. II, art. I, p 336, edit. Romæ MDCCLXVI, in 4.

annis LXXXI. Porro si ab exeunte Septembri anni 4674, numeres LXXXI annos, anni octogesimi primi initium non habebis nisi ineunte Octobri anni periodi Julianæ 4754, finem verò exeunte Septembri 4755, Antipâ jam exule a duobus annis & amplius. Anni igitur Herodis Magni computati non fuêre a die, quo a Romanis Regnum obtinuit, nec anni Herodis Antipæ a morte Patris.

Neque obstat quòd anni utriusque Herodis dicantur inchoati tantùm. Supponamus enim Herodem Magnum regnasse tantùm per XXXVI annos & XV dies, & Herodem Antipam per XLIII annos & dies quindecim, ut utriusque anni ultimi a quindecim diebus tantùm dicantur incœpti, & ita eos regnasse tantùm per LXXIX annos & mensem unum completos. In hac hypotesi finis Tetrarchiæ Herodis Antipæ erit anno 4753 periodi Julianæ, seu XL æræ vulgaris, exeunte mense Octobri, aut ineunte Novembri, quo certè jam exulabat Antipas. Annos igitur utriusque Herodis Principatûs ab ineunte sacro Judæorum anno computatos necesse est.

Scaliger quidem contendit eos annos fuisse computatos a mense Ijar, seu Aprili nostro; ve-

verùm hæc ejus opinio refellitur Corollario immediatè inferiori.

COROLLARIUM IX.

Errat Scaliger ſcribens annos Herodianos, a Joſepho annumeratos, a menſe Jjar, ſeu Aprili noſtro, fuiſſe computatos.

Fatetur Scaliger (259) Judæos a menſe Tiſri, ſeu Septembri noſtro, numquam annum hiſtoricum orſos eſſe, licet ab eo menſe inchoatis annis contractus ſuos ſignarent. Hinc ait eos *numquam annos Regum aliunde, quàm ab initio anni ſui popularis, ordiri, hoc eſt, a Niſan*, quod & ipſe dixi Corollario immediatè ſuperiori. Subjungit tamen id factum eſſe tantùm *uſque ad tempora Simonis Hyrcani, ſub quo ab Jjar annos ſuos* putare cœperunt Judæi, quod ex tribus quatuorve locis Flavii Joſephi operum colligere tentavit. *Nam*, inquit (260), *Joſephus ait Hieroſolyma a Pompeio capta tertio menſe, tempore jejunii. Thamuz ſanè eſt tertius ab*

(259) Joſ. Scaliger *de emendat. temp.* lib. v, de exceſſu Herod. p. 463, edit. Genevæ MDCXXIX, in fol.

(260) Id. ibid. de initio Simonis, p. 436.

ab Ijar. Alibi idem Scriptor Adar vocat undecimum mensem, & Tebeth nonum, nimirùm ab Ijar.

Verùm ex hac Josephi auctoritate minimè evincitur nova illa epocha anni Judaici ab Ijar inchoata: levissimum enim est argumentum quo hæc nititur. Ex eo quod enim apud Josephum Hierosolyma a Pompeio capta dicatur mense tertio, jejunii tempore, non continuò sequitur illum mensem tertium esse Thamuz, anni sacri quartum, cujus XVII dies jejunio sacra erat, ob impensum vitulo aureo cultum, atque inflictam ob id a Deo ultionem. Mense enim Sivan, tertio ejusdem anni sacri, die XXIII, jejunium erat, teste Calmeto (261), in memoriam edicti a Jeroboamo filio Nabat lati, quo scilicet cautum est, ne subjecti sibi populi primitias Hierosolymam deferrent. Cùm igitur Josephus dicat *mense tertio*, non verò *mense Thamuz*, minimè asserere possumus eum de mense Thamuz loquutum fuisse; immò dubium (262) esse posset an ibi Josephus in-

(261) August. Calmetus *Diction. histor.* tom. II, p. 445, edit. Lucæ MDCCXXV, in fol.

(262) Leve admodùm tamen illud existimo.

indicaverit menſem tertium anni ſacri. Alio enim in loco (263) *ſecundum* appellat menſem Marcheſvan, ſeu Marſonane, Macedonibus Dius dictus, qui erat anni ſacri octavus; quia ibi loquitur de anno civili, initium habente a menſe Tiſri. Hinc Jacobus Uſſerius, celeberrimus Chronologus, laudatâ Joſephi auctoritate innixus, putat (264) Hieroſolymam a Pompeio captam menſe Kisleu, anni civilis tertio. *Captum eſt templum*, inquit, *ſolemni menſis tertii jejunio; quo Urbs poſteà a Soſio eſt occupata. Qui menſis tertius anni civilis eſt accipiendus apud Hebræos & alios orientales (ut in lib. 1 antiquit. cap. 4, Joſephus, & in principium Ezechielis Hieronymus indicat) ab autumno deducti: ille videlicet Syrorum menſis tertius, ab eis Canun prior, ab Hebræis Cisleu dictus; cujus die* 28 (265) *jeju-*

(263) Joſephus, ut n. 67, lib. 1, cap. IV, p. 9.

(264) Uſſerius, ut n. 171, p. 452.

(265) Ita Uſſerius; verùm R. Abbas Auguſtinus Calmetus, ut n. 251, p. 442, variorum Calendariorum auctoritate teſtatur hoc jejunium, ob dilaceratum combuſtumque Jeremiæ volumen a Rege Joakimo, celebrari die VI ejuſdem menſis. Uter veritatem ſcripſerit, hic non eſt inquirendi locus.

jejunium, in memoriam ſacri voluminis ab impio Jehojakimo combuſti (266) *in hunc uſque diem Judæi celebrant. Dies verò ille* 28 *menſis Cisleu hoc anno Decembris Juliani diei* 20 *reſpondit.*

Nec magis deducitur nova illa anni Judaici epocha ex aliis Joſephi locis, ubi menſis Adar undecimus (267), & menſis Tebeth nonus (268) appellatur. Mendoſa enim eſſe illa loca oſtendit ipſemet Joſephus. Hic enim iis in locis, uti & alibi, Judaicos menſes componit cum Macedonicis, quorum ſeries ita ſe habebat (269):

Macedonici.	*Judaici.*
Xanthicus.	1. Niſan.
Artemiſius.	2. Ijar.
Dæſius.	3. Sivan.
Panemus.	4. Tammuz.
Lous.	5. Ab.
Gorpiæus.	6. Elul.

K Hy-

(266) Jerem. cap. XXXVI.

(267) Joſephus, ut n. 67, lib. XI, cap. IV, p. 315.

(268) Id. ibid. cap. V, p. 317.

(269) Teſte Ever. Audrichio *Inſtitut. ant.* part. I, cap. II, p. 25, edit. Florentiæ MDCCLVI, in 4.

Hyperberetæus.	7. Tisri.
Dius.	8. Marchesvan.
Appellæus.	9. Kisleu.
Audynæus.	10. Tebeth.
Peritius.	11. Sebeth.
Dystrus.	12. Adar.

Josephus porro componit (270) mensem primum Nisan cum Xanthico Macedonico; secundum Ijar (271) cum Artemisio; septimum Tisri, seu Thuri (272) cum Hyperberetæo; octavum Marchesvan, seu Marsonane (273) cum Dio; nonum Kisleu, seu Chasleu (274) cum Appellæo; & duodecimum, annique ultimum Adar (275) cum Dystro. Hinc si alibi mensem Tebeth *nonum* (276) & Adar *undecimum* (277) appella-

(270) Josephus, ut n. 67, lib. XI, cap. IV, p. 315.

(271) Id. ibid. lib. VIII, cap. II, p. 225.

(272) Id. ibid. p. 228.

(273) Id. ibid. lib. I, cap. IV, p. 9, ubi mensem illum appellat *secundum*, quia ibi loquitur de anno civili, qui initium habebat a Tisri.

(274) Id. ibid. lib. XII, cap. VII, p. 349.

(275) Id. ibid. lib. IV, cap. VIII, p. 114.

(276) Id. ibid. lib. XI, cap. V, p. 317.

(277) Id. ibid. cap. IV, p. 315.

laverit, haud dubiè ibi Librariorum incuriâ erratum eſt, ut patet ex eo quod iis in locis Tebeth cum Appellæo, & Adar cum Dyſtro Macedonico comparaverit. Si enim Tebeth reverà fuiſſet, Joſephi ætate, nonus menſis anni Judaici, ab Ijar inchoati, illum comparaſſet cum Audynæo Macedonico, non autem cum Appellæo. Sicut enim Tebeth fuiſſet apud Judæos menſis nonus ab Ijar, ita Audynæus apud Macedones fuiſſet nonus ab Artemiſio.

Item ſi Adar, vivente Joſepho, fuiſſet apud Judæos menſis undecimus, cum Peritio Macedonico, non verò cum Dyſtro, compoſitus fuiſſet. Si enim Judæorum menſis nonus unà cum Macedonum Appellæo affluxit, Judæorum undecimus unà cum Macedonum Peritio effluere debuit. Nullum igitur dubium quin error in ea Joſephi loca irrepſerit; quod affirmat ejus vetus interpres Rufinus (278), qui priori loco (279) non Tebeth ſed *Kisleu* poſuit. Item poſterio-

 ri

(278) Teſte Petavio, ut n. I, part. I, lib. I, cap. XXIX, p. 74.
(279) Cap. V.

ri (280), quidam ejufdem Rufini codices habent *duodecimum*, non verò undecimum menfem. Non igitur fcripferat Jofephus (281): *vigefimâ die noni menfis, quem Hebræi Tebethum, Macedones Appellæum nominant*. Nec (282) *vigefimâ tertiâ die menfis undecimi, qui noftris dicitur Adar, Macedonibus Dyftrus*: fed *vigefimâ die noni menfis, quem Hebræi Kisleu, Macedones Appellæum nominant*; & *vigefimâ tertiâ die menfis duodecimi, qui noftris dicitur Adar, Macedonibus Dyftrus*. Eft enim tam Adar apud Judæos a Nifan, quàm apud Macedones Dyftrus a Xanthico duodecimus. Unde novæ illi ab Ijar epochæ nullus omninò relinquitur locus.

Addas tamen, fi velis, argumentum iftud negativum, ab erudito Bocharto (283) fuppeditatum, dicente ejufmodi epochæ ne volam quidem, nec leviffimum occurrere veftigium in Judæorum libris, id eft, neque in li-

(280) Cap. IV.

(281) Jofephus, ut n. 67, lib. XI, cap. V, p. 317.

(282) Id. ibid. cap. IV, p. 315.

(283) Bochartus, *opera* tom. II, *epift. ad Sarravium*, p. 1056, edit. Traject. ad Rhen. 1712, tefte Hier. a Bennetis, ut n. 258, p. 336.

libris Machabæorum , neque in Talmude , neque in tractatu *Rosch-haschana* , de anni principio , neque in templi secundi Chronico , neque in *Seder Olam* , neque apud Josephum ben Gorion , neque in *Sepher Juchasim* , neque apud Gantzium in *Tzemach David* , neque in Judæorum computatione *Chochmat Hammazalath* , quibus in locis , si alicubi sanè , ejus rei mentionem occurrere oportebat . Imaginarius est igitur novus ille annus , ab Ijar incœptus .

COROLLARIUM X.

Errat Norisius scribens Herodem Magnum obiisse anno III ante æram vulgarem .

EMinentissimus Cardinalis Norisius (284) plurimis argumentis probare conatus fuerat Herodem Magnum obiisse anno 751 Romano , seu III ante æram vulgarem ; unde deinde scripsit (285) : *variæ sunt Scriptorum opiniones de anno obitûs Herodis . Ipse quidem in Cenotaphiis Pisanis Dissert. 2 , cap.6,*

 scri-

(284) Norisius , ut n. 121 , col. 232 & seqq.

(285) Norisius ibid. tom. II , Dissert. IV , cap. V , §. IV , col. 471 .

ſcripſi Herodem ſævam animam inter acerbiſſimos cruciatus projeciſſe A. V. 751 a parilibus. Hanc tamen ſententiam poſteà mutavit eruditiſſimus Cardinalis, ut jam adnotavi ſuperiùs Corollario VII: unde minimè hic eſſet locus refellendi ejus argumenta, niſi iis uterentur alii ad probandam opinionem, de qua ipſemet diſceſſit.

I. Igitur ait (286): Herodes Magnus, teſte Joſepho, obiit circà feſtum Paſchatis anno XXXVII ex quo Rex a Romanis declaratus fuerat, & XXXIV ab interfecto Antigono. Herodes porrò, ex eodem Joſepho, Regnum obtinuit anno Romano 714 (menſe Octobri); Antigonus verò occiſus fuit anno 717. Igitur anno Romano 751, ſeu III ante æram vulgarem, annum agebat propè Paſcha Regni a Romanis accepti XXXVII, a morte autem Antigoni XXXIV.

Verùm, ſi anni illi Judæorum more computentur, uti reverà computandi ſunt ex Corollario VIII, ab ineunte anno ſacro, ſeu Martio noſtro, annus XXXVII a Regno accepto, & annus XXXIV ab Antigono detru-

(286) Id. ut n. 121, col. 232.

truſo, inierunt menſe Martio anni 750 Romani, ſeu IV ante æram vulgarem; proindeque paulò poſt mori potuit Herodes, & reverà mortuus eſt, ut omninò evincunt nummi Herodis Antipæ, deſcripti ſuperiùs Propoſitionis I Sectione V.

II. Philippus Tetrarcha, inquit Noriſius (287), Herodis Magni filius, e vita migravit, teſte Joſepho, anno Imperii Tiberii XX, ſui verò Principatûs XXXVII. Anno porrò Romano 787, die XIX Auguſti, Tiberius annum Imperii XX explebat; Philippus verò ante duos ferè menſes annum Regni XXXVII inchoaverat: ergò Patri mortuo ſucceſſit anno Romano 751, ſeu III ante æram vulgarem.

Verùm, Philippi Tetrarchiæ annus XXXVII vel iniit, more Judæorum, menſe Martio anni Romani 786, vel eodem menſe anni ſequentis 787, quia mori potuit ineunte uti exeunte anno XX Imperii Tiberii; ergò primus Philippi Tetrarchiæ annus inire potuit anno Romano 750 uti 751; proindeque Herodes Magnus mori potuit anno Romano 750,

 & re-

(287) Id. ibid. col. 233.

& reverà mortuus est, ut evincunt nummi Herodis Antipæ, de quibus suprà.

III. Philippus idem, ait Norisius (288), Bethsaidæ vicum splendidis ædificiis in speciem Urbis exornavit, teste Josepho, eamque Juliæ Cæsaris filiæ cognominem esse voluit. At Julia ab Augusto patre anno Romano 752 in exilium deportata, nequaquam eos honores a Judæo Tetrarcha tulisset: Philippus ergò anno 751 Romano, seu III ante æram vulgarem, mortuo Herode patre, parti Regni paterni imperabat.

Verùm Philippus parti Regni paterni imperare etiam potuit anno 750 Romano, seu IV ante æram vulgarem. Argumentum enim Norisianum probat tantùm eum rerum summâ jam potitum esse ante annum 752 Romanum, non verò eum imperare cœpisse anno 751, seu III ante æram vulgarem.

IV. Archelaus, ait Norisius (289), Herodis Magni filius, *anno Principatûs sui nono*, teste Josepho (290), in exilium pulsus est Vien-

(288) Id. ibid.

(289) Id. ibid. col. 233 & seq.

(290) Josephus, *de bell. Jud.* cap. 6.

Viennam, Galliæ urbem. Eodem loco etiam Archelai somnium narrat Josephus, nempe visas illi fuisse per quietem *novem spicas plenas & maximas a bobus comedi*; atque Simonem Essenum hanc somnio interpretationem dedisse: regnaturum quidem illum esse tot annos, quot significasset numerus Aristarum. Et statim: *hisque auditis, Archelaus quinque diebus post ad causam dicendam est evocatus*; & in exilium missus anno 759 Romano, teste Dione. Anno Romano 751 a palilibus, ante Pascha mortuo Herode Archelaus succedit, novies spicæ maturarunt ab eodem anno ad annum 759. Igitur Archelaus reapse Patri demortuo successit anno Romano 751, seu III ante æram vulgarem, ac nono anno Ethnarchiæ suæ currente, Principatu exeunte autumno privatus, Viennam in exilium deportatus fuit.

Verùm Archelaus non anno Ethnarchiæ nono Viennam exulavit, sed ineunte decimo. Josephus enim, ut adnotavi superiùs Propositionis I Sectione IV, alibi (291) scribit Archelaum in exilium missum *anno Princi-*

(291) l.L. ut n. 67, cap. xv, p. 516.

cipatûs decimo; proditque in vita sua (292) patrem sui ipsius Matthiam natum fuisse *anno decimo Principatûs Archelai*, cujus rei testes appellat publicas tabulas. Unde sat evincitur Archelaum regnasse novem annis completis, inito jam decimo; uti deinde fassus est ipse Norisius, scribens (293): *cùm ergò, teste Dione, Archelaus A. V. 759, qui fuit æræ vulgaris Christi VI, nempe inito jam, ut ait Josephus, decimo anno Ethnarchiæ, in exilium missus fuerit, primus ejusdem Principatûs annus cœpit A. V. 750, Juliano XLII, ac IV ante æram Christi* vulgarem. Anni igitur Archelai Principatûs Herodem Magnum obiisse non evincunt anno III ante æram vulgarem, sed anno IV.

COROLLARIUM XI.

Errat Vossius scribens Herodem Magnum obiisse anno II ante æram vulgarem.

GErardus Joannes Vossius, eruditissimus XVII seculi Scriptor, existimavit (294) Herodem Magnum mortuum esse anno XLIV Ju-

(292) Id. ibid. *de vita*, p. 585.

(293) Norisius, ut n. 121, tom. II, *de numm. Herod. ant.* col. 650.

(294) Vossius, ut n. 50, num. XV, p. 7.

Juliano, qui eſt II ante æram vulgarem, ſuamque probavit ſententiam iiſdem ferè argumentis ac Noriſius, de quibus in Corollario immediatè ſuperiori. Unde ſibi non omninò conſtans ita concludit (295): ſi Herodes Magnus *compleverit annum Imperii XXXVII, deceſſerit anno Juliano XLIV: ſin minus, mortuus ſit anno Juliano XLIII*, ſeu III ante æram vulgarem.

Verùm Herodes nec anno III ante æram vulgarem mortuus eſt, ut patet ex ſuperiori Corollario, nec anno ſequenti, II ante æram vulgarem, ut abundè colligitur ex dictis ſuperiùs Propoſitione I, ubi demonſtratur Rex ille jam mortuus biennio ante.

COROLLARIUM XII.

Errat Scaliger ſcribens Herodem Magnum obiiſſe anno I ante æram vulgarem.

JOſephus Scaliger, de critica arte peritiſſimus, refert (296) Judæos, Regum ſuorum annos a menſe Niſan, ſeu Martio noſtro, ordiri ſolitos, poſteà ſub Simone Pon-

(295) Id. ibid. p. 9.

(296) Scaliger, ut n. 259, p. 462.

Pontifice ab Ijar, ſeu Aprili noſtro, computare cœpiſſe. *Quare*, inquit, *cùm Herodes a Senatu Rex declaratus fuiſſet cyclo Lunæ XIX*, (ſeu anno XL ante æram vulgarem), *tamen Joſephus non orditur annos ejus ante Niſan, aut Ijar cycli primi* (ſeu anni XXXIX ante æram vulgarem). *Cùm autem, ipſo Joſepho teſte, annos ſolidos XXXVII regnaverit ex quo declaratus Rex; XXXIV verò, eoſque ſolidos, a captis a Soſio Hieroſolymis, deceſſerit verò ante Paſcha, noudum Ijar inſtante, quem diximus fuiſſe principem menſium, tempore Joſephi; manifeſto colligitur, proximo Ijar annum Herodis XXXVIII initurum fuiſſe, qui reverà erat triceſimus nonus a diebus æſtivis. Itaque hoc modo Herodes deceſſerit anno cycli XIX exacto, primo ineunte* (ſeu anno primo ante æram vulgarem). *Quod & confirmatur nono anno Archelai exacto, qui erat, ut ipſe Joſephus ſcribit, Actiacæ victoriæ triceſimus ſeptimus, anno Juliano LIII* (ſeu VIII æræ vulgaris). *Archelaus regnavit annos ſolidos novem. Ergò annus Julianus XLIV exactus, aut XLV iniens eſt primus Archelai, atque adeò ultimus Herodis, cyclo primo ineunte.*

Omni-

Omninò igitur, subjungit Scaliger (297), *Herodes decessit anno Juliano XLV* (seu primo ante æram vulgarem), *ante Nisan, cyclo Lunæ primo ineunte, Solis nono. Hæc solidis argumentis demonstrata characterem habent a Josepho notatum, nempe defectionem lunarem, quæ tempore morbi Herodis contigit anno Nabonassari* 747, *Tybi XVIII, sequente XIX, feriâ quintâ, sequente sextâ, sibebat XIIII, sequente XV, anno periodi Julianæ* 4713, *Januarii IIX in cyclo emendato, Januarii VI in cyclo vitioso. Duos igitur cyclos solidos regnavit Herodes, initio capto ab anno Juliano desinente VI, quo renunciatus Rex a Senatu. Detractis enim VI annis absolutis de* 44 *solidis, remanent anni solidi* 38.

Verùm errat Scaliger & in re & in suis calculis. Si enim primus Herodiani Regni annus inierit anno periodi Julianæ 4675, mense Ijar, seu Aprili nostro, & Herodes regnaverit XXXVII annos ferè solidos, mortuus est anno 4712, ante Ijar, non verò 4713, cujus Ijar iniisset annum Regni XXXIX, non autem XXXVIII, ut ait Scaliger. Hinc Hero-

(297) Id. ibid. p. 463.

rodes vel obiit anno 4712 periodi Julianæ, ſeu II ante æram vulgarem, quod de medio ferè tolleret Scaligeri opinionem de anno nativitatis Chriſti; vel reverà XXXIX annos propè ſolidos regnavit, quod omninò adverſatur Joſephi auctoritati, quam Scaliger admittit, omnibuſque veteribus monumentis.

In re etiam errat Scaliger, quia commentitia eſt nova illa anni Judaici epocha, ab Ijar inchoata, ut patet ex Corollario ſuperiori IX; & quia Herodes Magnus jam ante annum 4713, ſeu I ante æram vulgarem obierat, ut probavi ſuperiùs Propoſitione I. Cùm enim teſtibus veteribus nummis, Herodes Antipas poſt Patrem, Herodem Magnum, regnaverit XLIV annos, & in exilium ejectus fuerit ante autumnum anni 4753 periodi Julianæ, ſeu XL æræ vulgaris, eum Principatum iniiſſe anno 4710 periodi Julianæ, ſeu IV ante æram vulgarem, ac proinde Patrem eodem anno obiiſſe neceſſe eſt.

Nec obſtat Scaligeri argumentum ex novem Archelai annis ſolidis. Id enim contra ipſum pugnat, cùm relegatus non fuerit anno Juliano LIII, ſed anno LI, ſeu VI æræ vul-

vulgaris, ut jam ostendi Propositionis I Sectione IV, Josephi & Dionis auctoritate.

COROLLARIUM XIII.

Errat Baronius scribens Herodem Magnum obiisse anno VI æræ vulgaris.

EMinentissimus Cardinalis Baronius, annalium Ecclesiasticorum parens, anno III ante æram vulgarem Christum fuisse natum falsò persuasus, admittit quidem Regni Herodis annos XXXVII a Josepho numeratos, sed contendit eosdem inchoandos ab anno XXXI ante æram vulgarem, quo Cæsar Octavianus navali pugnâ Antonium & Cleopatram debellavit (298), ipso Octaviano tertiùm & Valerio Messalâ Consulibus; non verò ab anno XL ante eamdem æram, uti benè narrat Josephus (299), qui a captis Hierosolymis XXXIV annos eidem Herodi concedit.

Si enim, inquit Baronius (300), a Calvini & Pollionis Consulatu, quo ex Senatus Con-

(298) Baronius, ut n. 44, p. 63.
(299) Ut dictum est superiùs Propositione I.
(300) Baronius, ut n. 44, p. 51.

Consulto collatum Herodi Regnum ait Josephus, *prædictos annos triginta septem Herodis Regni numeres per Consules & Olympiadas subsequentes, procul dubio Herodem ante Redemptoris nostri natalem ex humanis desiisse certissimum est*. Igitur *in primis* (301) *illud monendum putamus, eumdem auctorem in his, quæ sunt temporis, sæpè hallucinatum esse; quod tum in Herodis annis, tum in cæteris accidisse suis locis inferiùs facile demonstrabimus*.

Josephi *erroris*, subjungit Baronius (302), *inde fluxit occasio, quod cùm in confesso esset apud omnes, Herodis Regni annos triginta septem esse adnumeratos; rursùmque certum esset ipsum ex Senatûs Consulto Regnum accepisse, factum est ut ipse ad primam institutionem Romæ sub prædictis Consulibus factam, verterit oculos, & ab eo tempore numerare cœperit annos Regni ipsius Herodis. Ceterum tunc occupato* (303) *eodem Regno ab Antigono, nondum usque ad mortem ejus potitus est; quando jussu opeque Antonii per Sosium Syriæ præsidem*

(301) Id. ibid. p. 52.
(302) Id. ibid.
(303) Id. ibid, p. 53.

fidem est restitutus. Porrò quoniam in bello civili contra Octavianum Augustum eidem Marco Antonio favit, illud demeruisse visus est. Quamobrem cùm idem Augustus, Antonio & Cleopatrâ devictis, summâ rerum potitus esset; mox Herodes suæ culpæ conscius, supplex ad veniam impetrandam, Rhodum ad eumdem illic agentem se contulit, depositoque diademate, ac precibus fusis, ab eodem Regnum promeruit, quod & decreto Senatûs Consulti fuit eidem stabilitum.

Facta sunt hæc, prosequitur Baronius (304), *eo ipso anno, quo idem Augustus navali bello Antonium & Cleopatram debellavit, eodem Augusto tertiùm & Messalâ Consulibus, Olympiade centesimâ octogesimâ septimâ, anno secundo. Ab eo igitur tempore in publicis monumentis adscriptum primum annum Herodis Regni, ac deinceps ceteros sequentes esse adnumeratos, eâ potissimùm ratione constare videtur, quòd cùm Augustus ex S. C. rescidisset, irritaque reddidisset, quæ ab Antonio in Imperium perduelle gesta essent, non licuit Herodi illos Regni sui numerare annos, quibus re-*

(304) Id. Ibid.

regnavit postquam illud ab Antonio sibi restitutum accepit; sed ab eo tempore quo ab Augusto sibi redditum fuit, & ex S. C. firmatum.

Ex iis Baronius deducit, negari non posse quin Herodes ad octavum Christi annum, qui est sextus æræ vulgaris, pervenerit. *Anno igitur Domini octavo*, inquit (305), *M. Æmilio Lepido & L. Arruntio nepote Consulibus Herodes moritur, Regni sui trigesimo septimo inchoato, propè tempus Paschale.*

Verùm hæc Baronii sententia ab omnibus meritò rejicitur. Herodis enim Regni nec initium nec exitum rectè assignavit, ut sequenti ferè modo jam probavit Eminentissimus Cardinalis Norisius (306).

Victoria Actiaca contigit die secundâ Septembris anni XXXI ante æram vulgarem, seu anni Romani 723, Augusto III & Messalâ Consulibus, teste Dione (307). Cùm verò Herodes circa Pascha labente anno XXXVII ab Actiaca victoria, Baronio mortuus credatur, decessit anno æræ vulgaris VII, seu Romano 760, Quinto Cæcilio Metello Cre-

(305) Id. ibid. ad ann. Ch. 8, p. 78.

(306) Norisius, ut n. 121, col. 252 & seq.

(307) Dio, ut n. 100, lib. 51, p. 272.

Cretico & A. Licinio Nervâ Silano Consulibus. At obitus Herodis a Baronio, in laudato Annalium loco, statuitur anno Christi juxtà ipsum VIII, Marco Æmilio Lepido & Lucio Arruntio Consulibus, æræ Romanæ 759. Eo tamen anno circa Pascha Herodes ab Actiaca victoria egisset tantùm Regni annum XXXV ac mensem sextum. Annos igitur triginta septem perperam subduxit Baronius.

Sed nec initium rectè deduxit. Siquidem cùm Augustus, anno tantùm altero ab Actiaca victoria, bellum contra Antonium profligaturus, in Asiam transmisisset, Herodes eumdem apud Rhodum convenit, depositoque diademate veniam supplex postulavit, quod Antonio contra ipsum suppetias misisset. Quare si XXXVII anni Regni Herodis inchoentur *ab eo tempore, quo ab Augusto illi redditum fuit & ex S. C. confirmatum*, quod apud Rhodum contigit, obitus Herodis alligandus est anno Romano 760, non verò 759, uti Baronius opinatur. Dio enim de Augusto scribit (308): *in Italiam properavit mediâ*

(308) Id. ibid. p. 373.

diâ hieme, se quartùm, & M. Crasso Consulibus. Deinde subdit: *in Græciam advectus est trigesimo quam in Italiam venerat die, ac propter hiemem navibus per isthmum peloponnesiacum translatis tantâ celeritate in Asiam advenit, ut de ejus discessu simul redditaque Antonius ac Cleopatra cognoverint.* Quare ut minimùm exeunte Februario anni Romani 724 a parilibus Augustus iterùm in Asiam venit. Nec enim dici potest Herodes Cæsarem adiisse, cùm anno Romano 723, *ab Actio Samum insulam in hiberna se recepisset*, teste Suetonio (309). Nam Herodes apud Rhodum Cæsarem convenit, ac in colloquium admissus, suam cum Antonio amicitiam non modo fassus est, verùm laudi quoque sibi vertendum dixit, quòd ne post Actiacam quidem cladem illum deseruerit, neque fortunâ jam apertè mutatâ, ad novas spes se transtulerit, ut superiùs ex Josepho jam narravi.

Eodem teste, cum Augustus Rhodo discessit, Herodes *deduxit eum in Ægyptum*. Hero-

(309) C. Suetonius Tranquill. *oper. omn.* lib. II, *de XII Cæsar.* cap. XVII, p. 116, edit. Paris. MDCLXXXIV, in 4.

rodes igitur haud ſtatim poſt cladem Actiacam Antonium deſeruit, ſed altero poſteà anno re ejuſdem penitùs deſperatâ. Unde patet eruditum Baronium nec initium, neque exitum annorum Regni Herodis rectè aſſignaſſe.

Allatam ejus opinionis rationem luculento exemplo etiam confutavit Eminentiſſimus Noriſius. Archelaus ab Antonio Cappadociæ Regnum acceperat anno Romano 718, teſte Dione (310), operâ Glaphyræ matris, cujus amore Antonius exarſerat; exſtatque eâ de re impudicum ipſius Auguſti hexaſticon apud Martialem (311). Archelaus in Antonii caſtris cum regiis copiis contra Cæſarem ſtetit, teſte Plutarcho (312). Huic tamen Cæſar poſt victoriam veniam dedit, eique regiam dignitatem ac nomen reliquit. Tiberius, demortuo Auguſto, eumdem Romam evocavit, Tacito hæc ſcribente: *Rex Archelaus quinquageſimum annum Cappadociâ potiebatur, inviſus Tiberio, quod eum Rhodi agen-*

(310) Dio, ut n. 100, lib. XLIX, p. 252.

(311) M. Valer. Martialis *Epigramm.* lib. XI, *Obſc.* epigr. XXI, p. 37, edit. Pariſ. MDCLXXX, in 4.

(312) Plutarchus *in Antonio*.

agentem nullo officio coluisset. Porrò Romam accitus fuit, ex eodem ac Dione, (313) Cæcilio Rufo ac Pomponio Flacco Consulibus, anno Romano 770. Ita anni Regni Archelai neutiquam numerati sunt ab eo tempore, quo in Regno confirmatus est ab Augusto post victoriam Actiacam; nam septem supra quadraginta tantùm intercessêre ad eum usque annum, quo Romam venire jussus fuit. Regnavit quidem Archelaus ex Dione LII annos; verùm Tacitus, ut non raró alibi, rotundo numero usus est, quod ad rem nostram nihil facit.

COROLLARIUM XIV.

Errat Pagius scribens Archelaum, Herodis Magni filium, Viennam exulasse anno VII æræ vulgaris.

REV. Pater Antonius Pagius e Minorum Conventualium familiâ, Annalium Ecclesiasticorum restaurator, existimavit Archelaum Viennam Galliæ in exilium ab Augusto missum fuisse anno VII æræ vulga-

(313) Dio, ut n. 500, lib. LVII, p. 375.

garis; & ratio ei fuit, *quia*, inquit (314), *anno Juliano quadragesimo tertio Patri successit, decimumque Regni annum attigit, quo anno Josepho Sacerdoti natus est filius Matthias ... ut ex publicis tabulis in libri de vita sua initio retulit Matthiæ hujus filius Flavius Josephus historicus ... qui quidem anni decem utrinque incompleti fuêre. Dio quidem lib. 55, anno Vrbis DCCLIX, Christi scilicet VI, scribit* Herodem Archelaum trans alpes fuisse relegatum. *Sed non mirum, cum exilium ejus anno uno antevertisse; cùm posterius Herodis Patris Regnum anno uno tardiùs consignarit; sicque mortem ejus anno etiam uno differre coactus fuerit.*

Verùm negligentiæ & computi errore deceptus est eruditus Pagius. Immemor enim eorum quæ anteà scripserat (315), Herodem Magnum nempe obiisse *anno Vrbis conditæ* 750, *ante Christum* (seu æram vulgarem) 4, *Juliano* 42, *Augusti* 41, *Herodis* 37 *&* 34, ac proinde Archelaum eodem anno principatum iniisse, hîc perperam scribit

(314) Pagius, ut n. 140, ann. Chr. 14, p. 13.

(315) Id. ut n. 140, ann. 4 ante Chr. p. 35.

eumdem Archelaum *anno Juliano quadragesimo tertio* Patri successisse. Si enim anno Romano 750 addas annos decem *utrinque incompletos*, ut ipse ait, decimi initium habebis anno 759, æræ vulgaris VI, ut ostendi superiùs Propositionis I Sectione IV. Immeritò igitur hîc vapulat Dio, cùm idem quoad tempus scripserit ac Josephus.

Nec obstat, quod subdit Pagius (316), Josephum nempe scribere, Archelao Romæ damnato, atque Viennam Galliæ in exilium deportato, missum fuisse a Cæsare Quirinium, virum Consularem, qui censum ageret in Syria, eumque peractum *anno trigesimo septimo* (317) *post victum a Cæsare in Actiaca pugna Antonium*. Hic enim annus XXXVII, fatente ipsomet Pagio (318), cœptus est anno VI æræ vulgaris, & Archelaus jam damnatus fuerat ante censum, & antequam Quirinius in Judæam veniret.

CO-

(316) Id. ut n. 140, ann. Chr. 14, p. 13.
(317) Josephus, ut n. 67, lib. XVIII, cap. III, p. 519.
(318) Pagius, ut n. 140, ann. Chr. 14, p. 13.

COROLLARIUM XV.

Errat Ricciolius scribens Archelaum, Herodis Magni filium, Viennam exulasse anno XII æræ vulgaris.

REV. Pater Ricciolius existimavit (319) Archelaum, Herodis Magni filium, Viennam exulasse anno Juliano LVII, qui est XII æræ vulgaris. Verùm ejus opinio omninò jam confutata fuit Norisii argumentis (320), quibus, præter alia, & ego utar.

Reverà quidem, ait Ricciolius (321), ex Josephi & Dionis narratione concluditur Archelaum in exilium Viennam fuisse deportatum anno VI æræ vulgaris, ac consequenter Herodem Magnum obiisse anno IV ante eamdem æram. At ex eodem Josepho (322), post mortem Archelai cum Quirino in Judæam venit Coponius, ut summum in Judæa exerceret Imperium. Hic deinde Romam revertens, successorem habuit Marcum Ambivium; huicque successit Anius Rufus,

(319) Ricciolius, ut n. 235, p. 287.

(320) Norisius, ut n. 121, col 235.

(321) Ricciolius, ut n. 235, p. 287.

(322) Josephus *antiq.* lib. XVIII, cap. 3.

fus, *cujus tempore Augustus vitâ functus est*. Certum est autem, prosequitur Ricciolius (323), Augustum obiisse 19 Augusti mensis anni XIV æræ vulgaris, qui est Julianus LIX. Ergo annua præfectura Ambivii fuit anno LVIII Juliano, & Coponii anno LVII. Quare census Quirini, quem Josephus dicit actum paulò post exilium Archelai, eodem anno fuit, & relegatio Archelai, vel eodem, vel ad summum anno LVI Juliano: ideò ablatis annis decem Ethnarchiæ Archelai, quorum meminit idem Josephus, restat annus XLVI Julianus, seu primus æræ vulgaris, pro initio Archelai & morte Herodis. Erravit igitur Dio, aut qui ejus lacunam supplevit, relegationem Archelai annis quinque aut sex anticipans. Ita Ricciolius

Verùm Dio (324) ad annum Romanum 759, scribit provincias populi singulis bienniis rectores accepisse, *cùm alioquin Cæsaris provincias iidem multos per annos soliti essent regere*. Unde igitur annua Judææ procuratorum administratio fingitur Ricciolio? Sa-

(323) Ricciolius, ut n. 235, p. 287.
(324) Dio, ut n. 100, lib. LV, p. 347.

Sanè ſub Tiberio Gratus XI annos, Pilatus verò decem Judæam gubernarunt. Eidem etiam ſomniatur (325) eô loci apud Dionem lacuna; nihil enim ibidem deeſt; & ubi ab anno 757 Romano latior lacuna emerſit, nullus hùcuſque eamdem implevit; quamvis quædam in excerptis Valeſianis, & ex ſcriptis a Zonara ſuppleantur. Monſtro propius eſt quod ſubjicit Ricciolius n. 8, ubi arguit Dionem falſitatis, quod res diverſis annis geſtas recitet ad conſulatum Antiſtii Veteris ac Lælii Balbi. Nam ibidem decem annorum hiſtoria intercidit; quam lacunam dudùm viri eruditi Baronius (326) & alii obſervarunt. Quod evidenter patet ex laudatis excerptis, ac ex legat. 39 a Fulvio Urſino edita. Ibi enim quædam ex Dionis libris referuntur, quæ tamen in ejuſdem modò hiſtoriâ deſiderantur, in qua Conſulibus Antiſtio ac Balbo ſuccedunt Cornelius Cinna & Valerius Meſſala, Conſules anno Romano 758, cum priores anno 748 Conſulatu functi fuerint.

Dein-

(325) Ita, non ego, ſed Eminentiſſimus Noriſius, ut n. 121, col. 235.

(326) Baronius, ut n. 44, p. 45.

Deinde addit Ricciolius (327) Tiberium Archelao, de fucceffione Regni cum fratribus Romæ litiganti, patrocinatum fuiffe coram Augufto; quod probat hifce Suetonii (328) de Tiberio verbis: *civilium officiorum rudimentis Archelaum, Trallianos & Theffalos, varia quofque de caufa, Augufto cognofcente defendit*. At certum eft, inquit, Tiberium, tefte Velleio, ex feceffu Rhodienfi Romam veniffe anno Juliano XLII, feu II æræ vulgaris, quo anno Archelaus Tiberio patrocinante, Ethnarchiam ab Augufto obtinuit, non verò fuperioribus annis.

Verùm, nominis fimilitudo Ricciolium in errorem traxit. Nam Archelaus, cujus caufam Tiberius Romæ defendit (329), non fuit Archelaus Herodis Regis Judæorum filius, fed Archelaus Rex Cappadociæ, uti difertè tradit Dio (330) ad annum Romanum 770, fcribens Tiberium Romam ex Cappadocia evocaffe Archelaum Regem, *cui erat*

(327) Ricciolius, ut n. 235, p. 288.

(328) Suetonius *in Tiberio* cap. 8.

(329) Tefte Suetonio, ut n. 309, lib. III, c. VIII, p. 251.

(330) Dio, ut n. 100, lib. LVII, p. 375.

erat infensus, quia cum olim sibi is supplicasset, suoque patrocinio usus, cùm ab incolis apud Augustum accusaretur, Rhodi se neglexisset, &c. Non unicus est hic R. P. Riccioli error de Archelao Rege Cappadocum. Sufficit tamen iste ad ostendendum quàm immeritò vapulent Josephus & Dio.

COROLLARIUM XVI.

Errat Baronius scribens Archelaum, Herodis Magni filium, Viennam exulasse anno XIV æræ vulgaris.

JAM Dionis & Josephi auctoritate ostendi superiùs Propositionis I Sectione IV, Archelaum, Herodis Magni filium & successorem, in exilium ab Augusto fuisse missum anno 759 Romano, seu VI æræ vulgaris: sed Eminentissimus Cardinalis Baronius, utpote qui jam erraverat in assignando Herodis Magni obitûs anno VI æræ vulgaris, ut patet ex superiori Corollario XIII, Archelai exilium distulit in annum XIV ejusdem æræ, qui est Christi XVI juxtà ipsum, quo Romæ Consules fuêre Sextus Pompeius & Sextus Appuleius. Hinc subjungit aliàs eru-

di-

ditiſſimus Cardinalis (331) Dionem ea, quæ de eodem Archelao narrat, ex Joſephi libris exſcripſiſſe, ac utrumque manifeſtè errare.

Verùm nec Dio ea ex Joſepho decerpſit, nec uterque erravit. Non quidem primum. Joſephus enim, ut jam adnotavit immortalis Noriſius (332), Archelaum, non Herodem illum Principem appellat; ac a ſubditis, non autem a fratribus, quod tradit Dio, reum eumdem apud Auguſtum peractum narrat. Non igitur ex Joſepho hauſit. Et quidem cùm Dio Regna a Romanis Imperatoribus ſive data, ſive adempta, annis diligenter adſignatis, paſſim memoret, eadem ex Romanorum Scriptorum Annalibus deſumpſit, ac proinde ex eiſdem annum relegati Herodis Archelai rectè deſignavit.

Hæc autem relegatio in XIV æræ vulgaris annum, imperii Auguſti poſtremum, manifeſto errore a Baronio protrahitur, dùm ipſe falsò putat erraſſe Dionem & Joſephum. Id plurimis ſanè argumentis, & quidem magni momenti, demonſtrare poſſem. Aſt

(331) Baronius, ut n. 44, ann. Chr. 16, p. 89.

(332) Noriſius, ut n. 121, tom. II, *de num. Herod. Ant.* col. 649.

Aſt iis omnibus omiſſis, ne tædium lectori afferatur, utar tantùm veteribus Herodis Antipæ nummis, ſuperiùs Propoſitionis I Sectione V deſcriptis.

Baronio fatente, Archelaus Ethnarchiâ potitus eſt eodem tempore ac Herodes Antipas Tetrarchiâ, nempe poſt mortem Patris Herodis Magni. Porrò ex laudatis veteribus nummis Antipas Tetrarcha fuit per XLIV annos ſaltem incœptos, & ex Propoſitione I ac Corollario XIX, exulavit ante autumnum anni XL æræ vulgaris, ſeu 793 Romani. Immò, ſi fides eſſet ipſi Baronio (333), Antipas ex Tetrarchia dimotus eſt anno XXXVIII ejuſdem æræ, Chriſti XL juxtà ipſum, Caligulæ verò Imperii ſecundo, 791 æræ Romanæ.

Si autem ex anno Romano 793 ſubtrahas XLIV annos incompletos, habebis annum Romanum 750, quo Tetrarchiam iniit Antipas, vel tantùm 748 juxtà Baronii narrationem, quam tamen omitto, ne inutilibus terantur tempus & charta. Hoc igitur anno 750 Romano Ethnarchiam quoque iniit Archelaus.

(333) Baronius, ut n. 44, ann. Chr. 40, p. 274.

laus. Hic porrò ex ipso Baronio (334), nono sui Principatûs anno ex Ethnarchia dimotus est. ergò exulavit anno 759 Romano, seu VI æræ vulgaris, ut dixi Propositionis I Sectione IV, non verò anno XIV ejusdem æræ, ut vellet Baronius.

Eodem Baroniano errore captus est Eusebius (335), dicens Archelaum exulasse in Galliam ultimo Augusti Imperii anno. Ejus auctoritate nititur Baronius (336), sed Eusebius ex Josepho, ejus magistro, fuisset castigandus.

COROLLARIUM XVII.

Errat R. P. Faure annos nummorum Antipæ, Herodis Magni filii, numerans a priori Patris testamento.

IN assignando anno Herodis Magni obitûs, usus sum superiùs, Propositionis I Sectione V, nummis antiquis Herodis Antipæ, cusis XLIII & XLIV ejus Tetrarchiæ an-

(334) Id. ibid. ann. Chr. 16, p. 88.

(335) Eusebius, ut n. 22, *Chron.* ann. Mundi 5213, p. 469.

(336) Baronius, ut n. 41, ann. Chr. 16, p. 89.

annis, quos celeberrimi numismatologi Vaillantius & Norisius, a patris morte numerarunt, quosque ipse computavi ab ineunte mense Nisan, seu Martio nostro præcedente, ob rationes allatas Corollario superiori VIII. Id tamen evertere conatur R. P. Faure, ut nempe Musantii opinionem, aut potius æram vulgarem nativitatis Christi tueri possit.

Non frustrà, inquit (337), *hunc ego laborem suscipiam, quo contendam ex nummo Antipæ, aliisque, etiam si legitimi* (338) *sint*,

(337) Faureus, ut n. 54, §. VIII, p. 436.

(338) *Si legitimi sint*, ait Faureus, quia eruditissimus Norisius Antipæ nummum in museo Rigordiano, Massiliæ in Francia, asservatum, cujus gratia Dissertationem scripsit, præ manibus non habuerat; unde ad Pagium subjungit, ut n. 121, tom. II, *de num. Herod. Ant.* col. 664: *ne quid tamen te celem, initio dubitabam de nummo quem non videram, quidpiam publicè in litteras mittere, ne si ille fortè esset adulterinus bellam fabulam luderem, ac omnia de eodem mihi commentata pura puta commenta forent*.

Non immeritò forsan hujus nummi antiquitatem in dubium vocabat Norisius. Teste enim Illustrissimo Comite *de la Bastie* in notis ad Jobertum *la science des*

fint, æram vulgarem falsam non demonstrari. Quid

des Med. tom. II, p. 444, edit. à Paris MDCCXXXIX, in 12, Idem ille nummus diligentissimè a peritissimis numismatologis Rothelino, Bozio & Clevesio examinatus, adulterinus judicatus est, sed ex vero ac legitimo expressus.

Hinc inconcussum perseverabat Norisii argumentum, cùm nummus Rigordianus adulterinus veros ac genuinos supponeret alios consimiles, qui reverà hodiè ab eruditis cognoscuntur, & inter quos Clementinus Romæ, Pellerinianus, Parisiis, &c. adnumerandi, utpote qui nullam omninò sui antiquitatis suspicionem movere possunt.

Immò Rigordianum nummum genuinum ac legitimum fuisse lubentissimè crederem. Cùm enim Nicolaus Toinardus, Harduinus, Rigordus ipse, & præsertim Vaillantius, aliique plurimi viri, nummariæ rei peritissimi, nummum ipsum præ manibus habuerint, ac illum, licet Norisius aliique de ejus sinceritate dubitationem moverent, genuinum judicaverint, non possum quin talem illum existimem. Quod si deinde cl. Rothelinus & alii illum recentem & cusum tantum ex veteri alio nummo crediderint ob ejus æruginem quæ scalpro cedebat, id factum puto vel quia ærugo illa arte inducta deinde fuerat, vel quia nummus jam fuerat mutatus. Hunc enim Rigordus dono dederat Illustrissimo Bezonio, post cujus mortem illum recuperavit idem Rigordus, vendiditque

Quid enim (339) cogit ut dicam nummum designare annum XLIII Tetrarchiæ per Herodem Antipam adeptæ? Quid ni designet annum XLIII ab eo tempore, quo Herodes Magnus Antipam testamento instituerat hæredem Regni totius, quod aliquot annis ante mortem Herodis Magni accidit: puta anno Vrbis 750, ante æram vulgarem IV, quo Augustus reconciliatus Herodi Magno, potestatem ei fecit judicandi de filiis. Et illud quidem testamentum memorat Josephus lib. 17 antiq. cap. 4, ubi de Herode Magno, seu infanticida: mutatâ voluntate mutavit testamentum: Antipam (340) enim, quem prioribus tabulis successorem destinaverat, Galilææ simul ac Peræ Tetrarcham constituit. *cui narrationi ultro assentitur Norisius.*

 Id

que eruditissimo *le Bret*, a quo translatus est ad cl. Rothelinum & deinde ad Illustrifs. Mazaugueſium. Cùm igitur plures sortitus fuerit Dominos, haud dubiè fuit etiam in manibus vilissimorum servorum, quorum aliquis, fraudum artifex, pro veteri Rigordiano recentem supponere potuerit, aut eumdem veterem Rigordianum, ut nempe pulchrior elegantiorque evaderet, nova ærugine obducere, quæ de nummi sinceritate aliquam deinde movit dubitationem.

(339) Faureus, ut n. 54, §. VIII, p. 437.

(340) Apud eumd. ibid. p. 438.

Id declarari poteſt, ſubjungit Faureus (341), *exemplo non incongruo. Compertum eſt nummum Jubæ Junioris, in cujus poſtica parte clava eſt cum ſuis litteris ETME permixtis cum laurea corona; quarum litterarum facilis ex græco interpretatio eſt ETous ME, anno quadrageſimo quinto. Cæterum cùm ejus Regnum ad XLV annum non pervenerit, Harduinus, Jobert Science des medailles tom. II, p.* 200, *& alii, ad novas interpretationes excogitandas adacti ſunt. Fuit autem (vide Jobert p.* 201, *remarque) qui ut nodum ſolveret, animadvertit ex Dione lib.* 71, *p.* 434, *Jubam juniorem regem ab Auguſto declaratum ſub finem anni Urbis conditæ* 724, *aut initium* 725, *quamvis ei nonniſi Cantabrico bello abſoluto anno Urbis* 729 (342), *Getuliæ partem, ac regna Bogud & Bocchus loco Numidiæ conceſſerit. Quod ſi ab anno Urbis* 725, *quo Rex non re, ſed verbo inſtitutus eſt, numeratio ineatur, utique potuit anno Urbis* 770 *nummum cudere, quo Principatûs XLV annus no-*

(341) Id. ibid.

(342) Apud Faureum ibi ſcriptum eſt 829, Typographi, ut credo, incuria.

notaretur. Eo autem Vrbis anno vixisse adhuc Jubam satis ostendit eruditissimi P. Souciet Differt. sur les Medaill. de Pythodoris p. 3 & seq. *Eidem ferè ratiocinationi locus est in re nostra: eoque magis, quod priorès illæ tabulæ tanti fiebant, tum ab Antipâ, tum ab uxore Herodiade, ut reipsâ conjugis impulsu & æmulatione Agrippæ, qui tabulis posterioribus sibi prælatus fuerat, Romam venerit ad Regnum impetrandum priori testamento sibi debitum: hoc autem accidit eo ipso anno Vrbis* 792 *juxtà Norisii supputationem, nempè sub id tempus, quo nummum cusum fuisse ponit.*

Ex his conficitur, prosequitur Faureus (343), *non potuisse quidem Antipam nummum cudere cum anni XLIII inscriptione, si quidem numeratio incœpisset ab anno mortis Herodis Magni, quo ipse Tetrarchiam iniit, isque annus ponatur I anno æræ vulgaris; a qua solummodo numerare potuisset annum XL. Siu autem numeravit ab anno prioris testamenti, quo hæres Regni institutus fuit, nihil est, cur annum XLIII, aut etiam XLIV inscribere non potuerit:*

(343) Id. ibid.

rit: quandoquidem D. Vaillant dissertatione de Christi natalis epochâ, ex nummis (344) eruenda *Memoires de literature tomo III, p.*202, *alium memorat Herodis Antipæ nummum, priori hoc uno dissimilem, quod inscribitur anno* 44 (*a*); *ex quo novum nobis argumentum consurgit. Etenim ex ipsiusmet Norisii supputatione vix* 43 *annum Tetrarchiæ inchoavit Antipas, cùm relegatus a Caio fuit, & Tetrarchia Agrippæ cessit; tantùm abest ut nummum Vaillant cudere potuerit cum inscriptione anni* 44. *Hæ itaque numerationes, atque ista præcipuè annorum* 44, *aliud quidpiam designant, non annum Principatûs, uti vult Norisius.*

Hîc Eminentissimo Norisio in omnibus patrocinari non intendo, sed tantùm adnotare quod hallucinatur R. P. Faure, dum annos Herodis Antipæ nummis obsignatos a priori Patris testamento esse numerandos, nec iis vul-

(344) Prosequitur Faureus ibid. p. 439.

(*a*) Hunc nummum, quem tab. III, n. xv delineatum exhibeo, eumdem esse ac secundum ejusdem tabulæ crediderunt nuperrimi quidam Scriptores, unde perperam omninò existimarunt in eo forsan esse legendum L. ΛΔ, seu *anno trigesimo quarto*,

vulgarem æram falſam demonſtrari, contendit.

I. Enim inaudita proponit, ne quid aliud dicam. Scimus quidem Principes quoſdam, in ſocietatem Imperii aſſumptos, ab eo tempore imperii ſui annos deinde numeraſſe, quia unà cum Patre aut anteceſſore, ante ejus mortem, re ſummâ potiti ſunt. At quis unquam vidit, quis unquam legit filium a Patre Regem ſucceſſorem teſtamento declaratum, Regni ſui annos a teſtamento numeraſſe? Videat, quæſo, R. Faureus ejuſmodi filium non renuntiari Regem pro tunc, ſed tantùm futurum poſt anteceſſoris mortem. Quomodo igitur inter Principatûs annos numerare poſſet eos, quibus non imperavit, & quibus imperare non potuit, neq imperandi jus habuit? Si res ita eſſet, Regum filii unici, aut ſucceſſores neceſſarii, ut, exempli gratiâ, hodiè Delphini in Francia, Regni annos numerare poſſent a natali die, quia ab eo fuerunt patrum ſucceſſores. Quis unquam tamen ita egit?

Verùm multò gravius eſt argumentum, dum de Herode Antipa agitur. Hic quidem priori Herodis Magni teſtamento Regni ſuc-

ceſſor deſtinatus fuerat. Sed teſtamentum illud Cæſaris auctoritate firmandum erat, & tamen Cæſaris confirmationem non obtinuit, nec Antipas patri in Regnum ſucceſſit, ſed Tetrarchiam (345) tantùm habuit. Ergò Herodes Antipas, nec vivente Patre, nec poſt ejus obitum, regno potitus eſt, ſed Tetrarchiâ tantùm. Annos igitur imaginarii regni a teſtamento patris, Tetrarchiæ ſuæ annis addere minimè potuit. Unde rectè concluditur annos XLIII & XLIV, Antipæ nummis obſignatos, ejus Tetrarchiæ annos indicare.

II. In

---

(345) Hinc Herodes Antipas Tetrarcha appellatur Evangeliſtæ Lucæ, ut n. 61, cap. III, p. 702, ubi legitur: *Tetrarcha autem Galilaea Herodes*, & cap. IX, p. 708, *audivit autem Herodes Tetrarcha*; quod idem recitat Matthæus, ut n. 58, cap. XIV, p. 674: *in illo tempore audivit Herodes Tetrarcha*; unde ſi paulò poſt eidem Matthæo, & Marco *Evangel.* cap. VI, p. 690, apud *Bibl. ſacr.* edit. Lugduni MDCXIIII, in 8., Rex nuncupetur, *Et audivit Rex Herodes*, id ſcripſerunt, quia Tetrarchæ regia citrà Regis titulum, ſeu eadem ac Reges pollebant poteſtate; eadem ratione recentiores Hiſtorici, Reges Franciæ, Magnæ Britanniæ & Pruſſiæ, Imperatores identidem appellant.

II. In plurimis peccat deducta ex nummis Jubæ Junioris comparatio, immò res falsa omninò videtur. Teste enim famoso Baylio (346), colligi potest ex IV libro Annalium Taciti, Jubam obiisse anno circiter X Imperii Tiberii Augusti, quia ibi cap. V, *Historicus* ille de Juba loquitur uti adhuc regnante anno æræ Romanæ 776. Insequenti verò anno eum mortuum supponit, cùm de Regno ejus filii verba faciat. Porrò si ab anno Romano 729, quo, ut vult Faureus, Juba Junior Getuliæ partem ac Bogudis & Bocchi Regna obtinuit, numerentur anni 45, habebimus tantùm 774. Falsò igitur scripsit Faureus Jubæ Junioris Regnum ad XLV annum non pervenisse.

Sed falsum est etiam Jubæ Regnum iniisse tantùm ab anno Romano 729. Verè enim Regis titulo potitus est ab eo die, quo Rex ab Augusto declaratus fuit, licet nondum obtinuisset quidquid ab Imperatore exspectabat. Non agitur hîc de testamento, quo quis Rex futurus tantùm declaratur, sed de vera re-

(346) Bayle *Diction. hist. & crit.* tom. II, voce *Glaphyra*, p. 1335, edit. à Rotterdam MDCCII, in fol.

renunciatione quâ quis Rex actu constituitur. Sic Herodes Magnus, eo ipso quo Judææ Rex a Romanis salutatus fuit, quamquam Regno nondum potiretur, Regis tamen titulum & honores habuit. Nulla igitur proponenda comparatio inter Herodis Magni testamentum & Augusti declarationem in gratiam Jubæ Junioris.

III. Etiamsi annos, Herodis Antipæ nummis obsignatos, a priori Patris testamento numerare liceret, nihil omninò tamen inde concluderet R. P. Faure, nisi præter mentem. Prius enim illud Herodis Magni testamentum, de quo agitur, conditum est aliquot tantùm mensibus, aut ad summum si vis, anno ante Herodis Magni mortem, ut jam adnotavi superiùs Propositione I. Antipatro enim, ejus filio, patricidii crimine convicto, *Herodes*, teste Josepho (347), *Legatos & litteras accusatrices misit ad Cæsarem. Dum autem Legati* (348), *instructi mandatis ac litteris, Romam properant, Rex morbo correptus testamentum condidit, exemit*

(347) Josephus, ut n. 67, cap. VII, p. 501.

(348) Id. ibid. cap. VIII, p. 501.

mit (349) *nomen Antipatri, Regemque ſcripſit Antipam, præteritis Archelao & Philippo natu majoribus, quia hos Antipater inſimulaverat.*

Deſperatâ deinde ſalute, fuſiùs ſubjungit Joſephus (350), quòd jam ad ſeptuageſimum ætatis annum accederet, mirum in modum efferatus eſt, iræ impatiens & amarulentus in rebus omnibus. *At poſtea ſupervenientibus* (351) *a Roma litteris a Legatis miſſis ad Cæſarem, iiſque auditis paululùm recreatus eſt voluptate nuncii permiſſæ ſibi poteſtatis liberè ſtatuendi de filio.* Mox repetitus gravi dolore, cultello ſeipſum ferire voluit, unde luctus cum tumultu occupavit Palatium, & Antipater e carcere exire tentavit. Quo audito juſſit Rex unum e Satellitio ſine mora eum occidere. *Deinde mutata voluntate* (352) *mutavit etiam teſtamentum. Antipam enim, quem prioribus tabulis Regni ſucceſſorem deſtinaverat, Galilææ ſimul ac Peraæ*

(349) Teſte eod. ibid. *de bello Jud.* lib. I, cap. XX, p. 670.

(350) Joſephus, ut n. *67*, cap. VIII, p. 501.

(351) Id. ibid. cap. IX. p. 504.

(352) Teſte eod. ibid. cap. X, p. 504.

ræ Tetrarcham constituit. His autem (353) *ordinatis, quintâ die postquam Antipatrum filium occidit, vitâ defunctus est.* Non igitur prius Herodis testamentum, de quo agitur, conditum est aliquot annis ante ejus mortem, ut vellet Faureus, sed aliquot tantùm mensibus, aut uno ad summum anno, cùm obierit paucis diebus post acceptas litteras a Legatis, quibus Romam properantibus testamentum illud scripserat.

Porrò si ab anno primo æræ vulgaris, quo obiisse Herodem Magnum supponit R.P. Faure, aut potius ab anno præcedente, quo conditum fuisset laudatum testamentum, numeres annos XLIII & XLIV, veteribus Herodis Antipæ nummis obsignatos, habebis annos XLIII & XLIV ejusdem æræ, seu 796 & 797 æræ Romanæ, qui sunt 4756 & 4757 periodi Julianæ. Verùm certum est Caium Caligulam, in cujus honorem cusi fuêre illi nummi, & a quo Antipas in exilium detrusus est, occisum fuisse ineunte anno XLI æræ vulgaris, seu 794 æræ Romanæ. Ergò nummorum anni XLIII & XLIV, etiam a prio-

(353) Teste eod. ibid. p. 505.

priori Herodis Magni testamento numerati, & Faurei sententiam & æram vulgarem annihilant.

Si iis addere velis, contra Faurei sententiam militare & pretiosissimum lapidem Ancyranum, & nummos veteres Antiochenos, & Flavii Josephi auctoritatem, & annos Regni Archelai, & nummos Philippi, eaque omnia, quod majus est, in unum convenire, tunc videre poteris quid de clarissimi Faurei ratiocinio sentiendum.

COROLLARIUM XVIII.

Errat Baronius scribens Antipam, Herodis Magni filium, anno XXXVIII æræ vulgaris fuisse relegatum.

Eminentissimus Cardinalis Baronius (354), ad varios temporum caracteres ab Scriptoribus antiquis adnotatos, non sufficienter attendens, tradidit Herodem Antipam, Herodis Magni filium, cujus veteres nummos descripsi superiùs Propositionis I Sectione V, perpetuo fuisse damnatum exilio apud

(354) Baronius, ut n. 44, ann. Chr. 40. p. 274.

apud Lugdunum, anno II Imperii Caii Caligulæ, XXXVIII æræ vulgaris, Christi juxtà ipsum XL, Romæ Consulibus Aquilio Juliano & Nonio Asprenate.

Verùm, ut ostendi Propositione I, & ut fusiùs dicam Corollario inferiori, Herodes Antipas Tetrarchiâ suâ potitus est usque ad annum XL æræ vulgaris, Caii Imperii Quarto. Ut autem cætera argumenta longiora minorisque momenti omittam, sic paucis verbis Baronii errorem demonstro.

Ex laudatis nummis Herodis Antipæ, ipse Tetrarchiâ suâ potitus est per annos XLIV saltem inchoatos a morte Patris Herodis Magni. Porrò Herodes Magnus ex Baronii opinione (355), quam quidem falsam ostendi superiori Corollario XIII, mortuus est anno VI æræ vulgaris, Christi juxtà ipsum VIII. Si igitur anno VI addas XLIV annos incompletos, habebis annum XLIX æræ vulgaris. Hoc ergò anno in exilium missus dicendus esset Antipas, quod certè admittere noluisset ipse Baronius, cùm tunc jam e vivis sublatus esset Caius a pluribus annis. Vide Corollarium inferius.

CO-

(355) Id. ibid. ann. Chr. 8, p. 81.

COROLLARIUM XIX.

Errat Usserius scribens Antipam, Herodis Magni filium, anno XXXIX æræ vulgaris fuisse relegatum.

JAcobus Usserius, proximè elapsi seculi XVII Chronologus admodum celebris, existimavit (356) Herodem Antipam, Herodis Magni filium, a Tetrarchia sua fuisse dimotum, ac in exilium missum anno XXXIX æræ vulgaris. Hanc suam sententiam minimè quidem probavit, sed Eminentissimus Cardinalis Norisius (357), eum sequutus, plurimis argumentis ostendere tentavit Antipam exilio fuisse affectum exeunte Augusto ejusdem anni, Romæ Consulibus Caio Cæsare iterùm & Lucio Apronio Cæsiano.

Verùm, errare utrumque patet præsertim ex veteribus Herodis Antipæ nummis, superiùs descriptis (358), quibus obsignati sunt anni ejus Principatûs XLIII & XLIV. Ex di-

(356) Usserius, ut n. 171, ann. Chr. 39, p. 652.

(357) Norisius, ut n. 121, tom. II, *de numm. Herod. Ant.* col. 654.

(358) Nempe Propositione I, Sectione V.

dictis enim Propositionis I Sectione V. primus Tetrarchiæ Antipæ annus inire non potuit ante Martium anni IV ante æram vulgarem, seu 750 Romani, quo obiit Pater ejus Herodes Magnus. Porrò si a Martio 750 numeres XLIV annos, quadragesimi quarti initium habebis mense Martio anni Romani 793, seu XL æræ vulgaris. Antipas igitur a Tetrarchia sua non fuit dimotus exeunte Augusto anni XXXIX ejusdem æræ, quo agebat tantum XLIII Principatûs annum.

Nec nummorum auctoritati contraria est veterum Historicorum narratio. Jam, Propositione I, Josephi auctoritate scripsi Herodem Antipam venisse in Italiam anno XXXIX æræ vulgaris, Puteolosque appulsum a Caio Imperatore ad salutationis officia persolvenda fuisse admissum. Id admittit ipse Norisius, immò pluribus probat Caium eo anno semel & iterùm in Campaniam se contulisse.

Nam, inquit (359), Dio (360) gesta ejusdem anni XXXIX enarrans, de Caio ait:

in

(359) Norisius, ut n. 121, tom. II, *de numm. Herod. Ant.* col. 653.

(360) Dio, ut n. 100, lib. LIX, p. 397.

in Campaniam abiit: reversus inde ad Drusillæ natalitia. Rursùs incumbente æstate eò profectus, Baulos ac Puteolos strato super mare trium millium ac sexcentorum ferè passuum ponte, conjunxit, uti fusiùs narrant idem Dio (361) ac Suetonius (362). Caius spectaculis in Campania editis, ante exitum Augusti Romam rediit, ubi Consules, quod ferias die suo natali non indixissent, Magistratu dejecit, ut ait Dio (363) innuitque Suetonius (364). Dies natalis Caii erat pridie Kalendas Septembris, uti prodit vetus inscriptio Kalendarii (365). Inde meritò concludit eruditissimus Cardinalis Herodem Antipam in Itatiam venisse ante exitum Augusti mensis anni XXXIX; sed minùs benè contendit eum eo ipso tempore fuisse ex Tetrarchia dimotum & in exilium detrusum.

Deceptus est narratione Josephi, qui uno

N te-

(361) Id. ibid, p. 399.

(362) Suetonius, ut n. 309, lib. IV, cap. XIX, p. 335.

(363) Dio, ut n. 100, lib. LIX, p. 400.

(364) Suetonius, ut n. 309, lib. IV, cap. XXVI, p. 344.

(365) Apud Gruterum, ut n. 161, t. II, p. CXXXIV.

tenore narrat Antipæ in Italiam adventum ac ejus exilium, fcribens (366): Caius apud Baias *Agrippæ perlegit litteras, accufantes Herodem, quod priùs cum Sejano confpiraffet in Tiberium, & nunc iterùm Artabano Partho faveret contra Caii novum imperium. Argumento erat ipfius Tetrarchæ apparatus, qui in armamentariis fuis haberet tantùm armorum, quantùm inftruendis virorum feptuaginta millibus fufficeret. Quâ re Cæfar commotus, percontatus eft Herodem, vera ne effent quæ nunciarentur de armorum numero. Quo annuente, neque enim vera negare poterat, fatis approbatam putans defectionem, ademptam illi Tetrarchiam ad Agrippæ regnum adjecit, pecuniam quoque ejus donans Agrippæ indici. Herodem verò perpetuo damnavit exilio apud Lugdunum urbem Galliæ.*

Verùm, licet Jofephus nos ibi docere videatur Herodem Antipam continuò poft lectas a Caio litteras in exilium fuiffe detrufum, minimè tamen credendum rem ita fuiffe, cùm contrarium teftentur nummi antiqui,

(366) Jofephus, ut n. 67, lib. XVIII, cap. IX, p. 535.

qui, & innuat ipſemet Joſephus. Hic enim eodem loco ait Agrippam, ſtatim poſt diſceſſum Herodis, Romam miſiſſe Fortunatum ſuum libertum ad Imperatorem cum muneribus & litteris ſcriptis contra Herodem; ſimulque mandaſſe *ut per occaſionem ampliùs cum Principe ſuper hoc negocio diſſereret*. Caius igitur antequam Herodem damnaret nomine conſpirationis, quam, utpote falſam, planè negabat, Agrippam expectare debuit ut certiorem de crimine quæſtionem haberet.

Herodem autem non fuiſſe damnatum niſi poſt reducem Agrippam patet ex ipſomet Joſepho, qui eadem alibi (367) narrans, ait: *his adductus Herodes venit ad Caium, a quo ob avaritiam vehementer increpitus, ad Hiſpaniam fugit: ſequutus eum quippè fuerat accuſator Agrippa, cui etiam Tetrarchiam illius Caius Cæſar adjecit. Atque ita Herodes quidem in Hiſpania, peregrinante ſecum etiam uxore, deceſſit*. Inde enim ſat evidenter patet Herodem fuiſſe damnatum ob criminationes aut calumnias Agrippæ, qui cum Ro-

N 2 mam

(367) Id. ibid. *de bell. Jud.* lib. II, c. VIII, p. 687.

mam sequutus fuerat . non igitur ante reducem Agrippam exulavit Antipas .

Ex iisdem Josephi verbis patet etiam non esse semper accipienda , tamquam eodem tempore gesta , quæ uno tenore narrant Scriptores , præsertim cùm contrarium evincitur ex aliis monumentis . Alioquin ex hac posteriori Josephi narratione credendum esset eodem tempore , aut saltem eodem mense , Herodem Antipam venisse Romam , Agrippam eum statim fuisse sequutum , & Antipam fugisse in Hispaniam . Quod sanè falsum ostenditur ex ipsomet Josepho . Quis ex his recentioris cujusdam verbis : *Herodes Magnus Judææ Rex a Senatu Romano declaratus , in Judæam rediit , ubi victo Antigono decessit ætate provectus* : quis , inquam , inde concludere vellet per paucissimos tantùm annos regnasse Herodem , nisi in Historia omninò peregrinus esset ?

Aliam nobis suppeditat Josephus rationem Antipæ exilii anno XL æræ vulgaris . Hic enim scribit (368) Agrippam regem obiisse *postquam regnasset per septennium . Quatuor enim*

(368) Id. , ut n. 67 , lib. XIX , cap. VII , p. 566 .

enim annos sub Caio Cæsare obtinuit Regnum. Primùm in Philippi Tetrarchia per triennium, cui quarto demùm anno accessit & Herodis Tetrarchia, tribus deinde annis sub Claudio Cæsare. Porrò cùm Agrippa Philippi ditionem obtinuerit ab Imperatore Caio vernâ tempestate anni XXXVII æræ vulgaris, seu 790 Romano, quartus annus eidem inchoabatur sub initium veris, aut Judæorum more mense Martio anni 793 Romani, seu XL æræ vulgaris, Caio in Galliis Britannicam expeditionem meditante. Non igitur a Caio Romam reverso Antipæ Tetrarchiam accepit nisi Septembri ejusdem anni, postquam nempè Herodis Antipæ defectionem Imperatori persuasit, ejusque exilium impetravit.

Reverà quidem scribit Usserius (369) Galilæam altero post damnatum Herodem anno, Agrippæ Regno adjectam fuisse, Eminentissimusque Norisius, eum fideliter sequutus, subdit (370): *equidem pulso in exilium Herode, Caius fortasse Capitoni, qui in Judæa*

(369) Usserius, ut n. 171, ann. Chr. 39, p. 652, & ann. 46, p. 654.

(370) Norisius, ut n. 121, tom. II, *de numm. Herod. Ant.* col. 662.

dæi exigendis tributis præerat, injunxit, ut in proximam Galilæam profectus, Herodis supellectilem, pecuniam, arma, & reliqua ejusdem bona in fiscum redigeret, omniumque, ut moris erat, indicem ad se transmitteret. Dein cùm idem Caius in Galliis esset, Galilæam simulque Herodis pecuniam Agrippæ donavit: Quamvis idem Josephus lib. 19, cap. 9, unà simul referat damnationem Herodis, ac ejusdem Tetrarchiam Agrippæ attributam.

Verùm, quid audio? hæc Josephi verba: *Herodem damnavit exilio, ejusque Tetrarchiam Agrippæ Regno adjecit*, alia ab aliis non sunt dividenda si de differendo Antipæ exilio agatur, licet id omninò suadeant nummi antiqui, Historiæ contextus, & Josephus ipse in aliis locis; & cùm agitur de differendo Agrippæ Regni incremento eadem dividenda erunt, ob unicum argumentum ex adverbio *fortasse* deductum? adnotationem omnem omitto.

Porrò, ut ad Antipam redeamus, Agrippa cum Caio Imperatore discedere non potuit nisi æstate anni sequentis XL æræ vulgaris. Caius enim anno XXXIX, paulò post mensem Augustum, quo exeunte, ut superiùs

riùs dixi, ex Campania Romam redierat, Agrippâ in Regno suo adhuc degente, Româ in Umbriam ad Clitumni fontes nemusque visendum, Mevaniam usque profectus, *expeditionis Germanicæ impetum cepit*, teste Suetonio (371), *neque distulit; sed legionibus & auxiliis undique excitis... iter ingressus est*, nec Romam rediit nisi exeunte Augusto anni insequentis.

Hanc expeditionem, ait Norisius (372), sub initium autumni a Caio susceptam, patet tum ex eodem Suetonio (373), qui eodem loco narrat illum adeò delicatè iter fecisse, *ut a propinquarum Vrbium plebe verri sibi vias, & conspergi propter pulverem exigeret*, nondum imbribus, ut adulto autumno fit, pulverem in lutum demutantibus; tum etiam ex fictis belli prœliorumque imaginibus, quas ille ad Rhenum exhibuit, priusquam legiones ad hiberna dimitteret, quas-

(371) Suetonius, ut n. 309, lib. IV, cap. XLIII, p. 359.

(372) Norisius, ut n. 121, tom. II, *de numm. Herod. ant.* col. 654.

(373) Suetonius, ut n. 309, lib. IV, cap. XLIII, p. 360.

que narrant Dio (374) & Suetonius (375).

Eodem anno XXXIX æræ vulgaris, Caius, jam *inflatus potentiæ magnitudine*, ut ait Josephus (376), oblitusque se esse hominem, ac divinos etiam honores usurpare ausus, statuam suam in templo Hierosolymitano collocare concepit. Hinc *Legatum* (377) *in Syriam mittit Petronium, successurum Vitellio, jubetque ut cum valido exercitu invadat Judæam: & si sponte id admittant, statuam ejus in templo Dei collocet. Quod si detrectent, bello devictos imperata facere adigat. Is assumptâ administratione rerum Syriæ, dedit operam ut exsequerentur mandata Cæsaris, contractisque quantùm poterat auxiliis, cum duabus Romanis legionibus bibernavit apud Ptolemaidem, primo vere bellum illaturus; quod & Caio significavit per litteras: qui* (adhuc Romæ degens ante Septembrem) *collaudatâ ejus industriâ, hortatus est eum ad agen-*

---

(374) Dio, ut n. 100, lib. LIX, p. 401.

(375) Suetonius, ut n. 309, lib. IV, cap. XLIV & seqq, p. 360 & seqq.

(376) Josephus, ut n. 67, lib. XVIII, cap. IX, p. 535.

(377) Teste eodem ibid. cap. XI, p. 536.

gendum gnaviter, & frangendam bello gentis contumaciam. Interim (id est, dùm contrahebat milites) *Judæorum multa millia venerunt Ptolemaidem ad Petronium, deprecaturi ne quid facere cogerentur contra leges patrias... Petronius animadvertens eorum obstinatam pervicaciam, neque se posse sine certamine & cæde statuam dedicare Cæsaris*, dedicatione dilatâ, datis ad Caium Cæsarem litteris, ejus dilationis causas in statuæ opifices retulit, significans insuper verendum esse, ne Judæi in desperationem acti, agros incenderent: *erant enim tum maturæ segetes*, inquit Philo (378), *& timendum erat ne, deploratâ religione, homines quoque vitam contemnerent, & vastatis agris, suasmet fruges latè per campos collesque incenderent.* Has litteras recepisse, aut saltem legisse non videtur Caius nisi Romam redux exeunte mense Augusto anni insequentis XL, cùm tunc temporis tantùm Petronio rescripserit, ut paulò infrà dicturus sum.

Missis litteris, Petronius *cum amicis & famulitio properavit Tiberiadem*, inquit Josephus

(378) Philo, ut n. 132, *de legat. ad Caium*, p 1028.

phus (379), *ut, ex propinquo meliùs res Judæorum dispiceret. Judæi verò magnum timentes e Romano bello periculum, sed majus ex violatis legibus, iterùm multorum millium numero occurrunt Petronio Tiberiadem, supplicantes, ne se ad eam necessitatem cogeret, neve sacratam Urbem pollueret vetitis imaginibus*. Tùm Petronius (380): pugnabitis igitur cum Cæsare, nec illius opes, nec vestram imbecillitatem adhibentes in consilium. Non pugnabimus, inquiunt, sed moriemur citiùs quàm discedamus a legibus: simulque procumbentes ac nudantes jugulos, paratos se aiebant ad excipiendos gladios. *Atque hoc pacto perduratum est per quadraginta dies continuos, neglectis interim agriculturæ operibus, cùm maximè sementis essent tempora... in hoc rerum statu Aristobolus, Agrippæ Regis frater, & Elcias Magnus cognomine, cum optimatibus cæteris ejus familiæ, Judæorumque primatibus accedunt Petronium rogantes ut consideraret obstinationem po-*

(379) Josephus, ut n. 67, lib. XVIII, cap. XI, p. 536.

(380) Teste eod. ibid. p. 537.

populi, neve illis desperandi ansam præberet: quin potius Caio scribat quantâ pervicaciâ reclametur dedicationi statuæ; utque relicto agriculturæ studio, de bello quidem nullâ virium fiduciâ non cogitent, sed parati sint mori potiùs quàm religionis labem in se admittere. Ad hæc semente omissâ instare latrocinia, dum non est unde possint persolvi vectigalia.

Iis commotus Petronius, *indicto Judæis conventu* (381) *ad Tiberiadem, postquam adesse vidit multa millia, progressus in concionem ait... abite quò suum quemque vocat negocium, & terram labore vestro colite. Legationem autem ipse in Vrbem missurus sum, & quidquid in rem vestram potero, tam per me agam quam per amicos meos & necessarios.* Hinc scripsit ad Caium, *dehortans*, inquit Josephus (382), *ne tam multa millia in extremam desperationem atque perniciem adduceret, neque enim nisi bello compulsos discessuros a religione patria: neve seipse mulctaret luculentis ex ea gente proventibus, æternumque apud eam sibi pararet improperium.* Eru-

(381) Teste eod. ibid.

(382) Id. ibid. p. 538.

Eruditissimus Cardinalis Norisius putavit hæc omnia gesta annó XL æræ vulgaris, seu 793 Romano, sed pauló inferiùs eum deceptum ostendam.

Caius Imperator, qui, ut jam adnotavi, in Germaniam profectus fuerat ineunte autumno anni præcedentis XXXIX æræ vulgaris, inde venit in Galliam, & Kalendis Januariis anni XL *Consulatum tertium Lugduni iniit solus*, ut ait Suetonius (383). Ejusdem quasi bellum perpetraturi, expeditionem hoc anno ad usque litus oceani ex adverso Britanniæ, describunt Dio (384) ac idem Suetonius (385). Undè posteà Romam ad triumphum reversus est, sed, ut ait etiam Suetonius (386), *omisso, vel dilato triumpho, ovans Vrbem natali suo ingressus est, intraque quartum* (legendum *quintum*) *mensem periit*. Itaque Caius Cæsar die XXXI Augusti natali suo ex Gallia Romam pervenit, cùm per an-

(383) Suetonius, ut n. 309, lib. IV, cap. XVII, p. 333.

(384) Dio, ut n. 100, lib. LIX, p. 403.

(385) Suetonius, ut n. 309, lib. IV, cap. XLVI, p. 362.

(386) Id. ibid. cap. XLIX, p. 364.

annum ferè ab Urbe & Italià abfuisset.

Tùm Agrippa, qui Romam redierat, cum Imperatore de Herode Antipa disseruit, ac ejus defectionem Caio persuasit. Hinc Imperator ademptam Herodi Tetrarchiam, ad Agrippæ Regnum adjecit, pecuniam quoque ejus donans Agrippæ indici. Herodem verò perpetuo damnavit exilio apud Lugdunum Urbem Galliæ.

Reverà quidem Josephus hæc uno tenore narravit & Herodis in Italiam adventum, ita ut credi posset eum statim fuisse exilio damnatum: verùm, ut superiùs jam adnotavi, anni ejus Principatûs nummis antiquis obsignati contrarium ostendunt, & Josephus ibidem ac alibi sufficienter innuit Antipam non fuisse ex Tetrarchia sua dimotum, nisi post Romam reducem Agrippam, qui, ex dictis, Imperatorem alloqui non potuit ante Septembrem anni XL.

Rex Agrippa, teste Josepho (387), *in dies Caio reddebatur familiarior: quando etiam convivium tale illi exhibuit, de industria procu-*

(387) Josephus, ut n. 67, lib. XVIII, cap. XI, p. 538.

curato apparatu sumptuosissimo, adhibitoque omni exquisitissimarum ac lauticiarum ac voluptatum genere, ut omnes a tergo relinqueret in hoc certamine, atque ipsum etiam Cæsarem. Tantum illi studium fuit demerendi Principis per omne obsequium. Is demiratus ejus tam animum quam magnificentiam, qui etiam supra vires ac facultates placere sibi contenderet, volensque cum eo certare mutuis officiis, pollicitus est ei quidquid esset petiturus. Ad hæc Agrippa: *rogo igitur ut mandatum revoces, quod Petronio dedisti, de statua in Judæorum templo ponenda.* Imperator *fecit eum voti compotem* (388). *Scripsit igitur Petronio, collaudans ejus industriam in comparando exercitu, & in exequendis mandatis quæ acceperat. Quod autem ad statuam attineat, si quidem dedicata sit & posita, sinendam esse; sin minùs, non esse cur in eo negocio plus laboris capiat; sed debere eum soluto exercitu reverti ad intermissa negocia. Remissum enim esse hoc Judæis in Agrippæ gratiam, cui tantum honoris a se haberi, ut non possit voluntati ejus contradicere. In hunc modum Caius scri-*

(388) Teste eod. ibid. p. 539.

scripsit Petronio priusquam ad defectionem spectare Judæos cognosceret. Nondum enim legerat nisi litteras a Petronio Ptolemaide ad eum scriptas segetis seu messis tempore.

Petronius autem, qui absente Imperatore legationem distulerat, audiens eum Romam revertentem, aut jam reducem, Legatos misit ad illum, datis litteris, de quibus suprà, Tiberiade conceptis tempore sementis. Legati in Italiam appulerunt mense circiter Octobri, & Imperatorem invenerunt in Campania rusticantem, qui, accipiens & Judæorum rebellationem & Petronii admonitiones, ac *indignè ferens*, inquit Josephus (389), *gentis audaciam & contemptum Imperii ... denuò scribit* Petronio *in hanc sententiam: quoniam plus apud te valuerunt Judæorum munera quam mea mandata, quibus neglectis omnia illis gratificatus es, temet judicem facio, quid de teipso statuere debeas, semel indignationem meam meritus. Volo enim te exemplum fieri & præsentibus & posteris, nullomodo irrita habenda mandata imperatoria*.

Non multo post, ait Philo (390), qui in Cam-

(389) Id. ibid.

(390) Philo, ut n. 112, *de legat. ad Caium* p. 1029.

Campaniam Imperatorem sequutus fuerat, *advenit Agrippa Rex more suo Caium salutaturus, planè ignarus epistolæ Petronii, quidve Caius rescripsisset*. Imperator irâ æstuans, conquestus est cum Agrippa de rebellione ejusdem contribulium Judæorum. Quibus auditis, Agrippa subito horrore ac tremore correptus, inquit Philo (391), collapsus fuisset, nisi eum proximi sustentassent, a quibus etiam domum sensibus deperditis, delatus, vix alterâ die spiritum recepit, ac prolixam ad Imperatorem epistolam misit, ut eumdem a dedicandæ apud Hierosolymam statuæ proposito revocaret. Hæc inter plurima Caio scripsit: *donasti mihi Regnum* (392), *quâ forte nulla inter mortales felicior. Id cum prius unam regionem non excederet, adjunxisti mihi mox majorem alteram, Trachonitim & Galilæam*.

Hinc evidens fit Agrippam jam mense circiter Octobri anni XL potitum fuisse Galilæâ, quam duobus circiter mensibus anteà obtinuerat, pulso in exilium Herode Antipâ, ut

(391) Id. ibid. p. 1030.
(392) Teste eod. ibid. p. 1037.

ut eruitur ex veteribus nummis & historiæ contextu ; non verò anno præcedenti , ut vellet Norisius , cujus argumenta vana esse nunc demonstrandum .

Petronius , inquit eruditus Cardinalis (393), cùm hibernasset Ptolemaide anno Urbis 793 , seu XL æræ vulgaris , primoribus Judæorum ad se vocatis , Imperatoris mandatum de dedicanda ejus statua in templo Hierosolymitano eisdem significavit . Quod ubi cæteris Judæis innotuit , relictis urbibus atque agris , plenis agminibus Ptolemaidem confluxerunt *tempore messis* ex Philone ; aut , si fides esset Josepho eadem narranti , *tempore sementis* : sed non videtur Josephus observasse ab autumno ejus anni cœpisse annum Sabbaticum , quo Judæi agros serere vetabantur : unde concludit Norisius in his fidem habendam Philoni , non Josepho .

Verùm nihil inde eruitur contra assignatum tempus Herodis Antipæ exilii : minùs tamen benè putavit eruditissimus Cardinalis duos illos Scriptores non sibi mutuò consen-

O ti-

(393) Norisius , ut n. 121 , tom. II , *de numm. Herod. Ant.* col. 657 .

tire, quia hæc gesta perperam credidit anno XL, & duas litteras, quarum meminerunt, malè confudit. Primò enim falsum est Petronium convocasse Judæos tempore messis, postquam hibernasset Ptolemaide. Teste quippe Josepho (394), Ptolemaide scripserat ad Caium se primo vere bellum illaturum Judæis. Cur igitur vere labente ansatus remansisset, & æstate tantùm sequenti Judæos convocasset, ut eis mandata Cæsaris significaret? Secundò, Petronius, postquam venit Ptolemaidem, ter scripsit ad Caium. In primis litteris significabat se primo vere bellum Judæis illaturum, teste Josepho (395); in secundis, se statuæ dedicationem differre ob ejus opifices, verendumque esse ne Judæi, in desperationem acti, maturas suas segetes incenderent, teste Philone (396); & tandem in ultimis, teste Josepho (397), dehortatus est Imperatorem ut mutaret sententen-

(394) Josephus, ut n. 67, lib. XVIII, cap. XI, p. 536.

(395) Id. ibid.

(396) Philo, ut n. 112, *de legat. ad Caium*, p. 1028.

(397) Josephus, ut n. 67, lib. XVIII, cap. XI, p. 538.

tentiam, ne tam multa millia hominum in extremam desperationem atque perniciem adduceret, addens Judæos, nisi bello compulsos, discessuros a religione patria.

Duas illas posteriores confundit Norisius, existimatque Josephum & Philonem de iisdem litteris loqui locis laudatis; verùm contrarium patet ex Caii responsionibus. Primæ enim epistolæ rescripsit *agendum gnaviter & frangendam bello gentis contumaciam*, teste Josepho (398); secundæ, laudem mereri Petronium ob mandata benè perfecta, sed de statua dedicanda non amplius esse cogitandum, ut innuit Josephus (399); tertiæ tandem, puniendum Petronium, utpote indignationem suam meritum, teste eodem Josepho (400).

Reverà quidem Josephus secundo loco (401), non videtur loqui de rescripto, sed tantùm de Caii epistolà, & Philoni, ut videtur, ignotæ fuerunt tertiæ Petronii ad Caium litteræ:

 un-

(398) Id. ibid. p. 536.
(399) Id. ibid. p. 539.
(400) Id. ibid.
(401) Id. ibid.

unde duo Caii rescripta eisdem supponit, & oratoriè, non verò historicè scribens, tempora & loca, immò & circumstantias confundit. Josephus verò rem historico modo narrans, omnia dixtinxit, & circumstantias suo loco narravit. Legatur ipse Josephus & quæ ipso duce superiùs scripsi, & fatebitur unusquisque Judæos quidem Petronium exoraturos convenisse Ptolemaidem tempore messis, sed deinde eidem Petronio occurrisse Tiberiadem; ibique commoratos esse per quadraginta dies & ampliùs, nec nisi sementis tempore fuisse dimissos; proindeque id contigisse anno XXXIX, non verò XL, quo, ut pote Sabbatico ineunte, Judæi agros serere vetabantur.

Norisius deinde Galilæam ante initium autumni anni XL ad Agrippæ Regnum spectasse probare conatur. Id ita fuisse libenter concedo, non quidem ob falsa ejus argumenta, quæ refellendi non est hîc locus, sed ob rationes superiùs allatas. Nihilominus errat eruditissimus Cardinalis inde concludens (402) An-

(402) Norisius, ut n. 121, tom. II, *de numm. Herod. Ant.* col. 658 & 661.

Antipam anno præcedenti XXXIX a Caio, priusquàm contra Germanos proficisceretur, apud Baias Galilææ Tetrarchiâ exutum, in exilium Lugdunum abiisse. Contrarium enim evincunt nummi antiqui & historiæ contextus, ut suprà jam adnotavi.

Cum Usserio porrò & Norisio erravit etiam Rigordus (403), aliàs eruditus Massiliensis numismatologus.

PROPOSITIO II.

Christus fugit in Ægyptum ineunte anno V ante æram vulgarem.

CHristum jam natum esse ineunte anno IV ante æram vulgarem, seu 4710 periodi Julianæ, patet ex superiori Propositione I, ubi demonstratur Herodem Magnum, cujus diebus natus est ex Axiomate I, obiisse mense Martio ejusdem anni. In sequenti autem Propositione III videbimus Magos, Christum adoraturos, Hierosoly-

(403) Rigordus *Dissert. hist. sur une med. de Herod. Ant.* p. 27, edit. à Marseille 1689, in 4.

mam venisse exeunte anno sexto ante æram vulgarem mense Decembri, Christumque adorasse ineunte anno V ante eamdem æram, die sextâ Januarii.

Porrò ex Axiomate II, cùm Magi Christi domo recessissent, Angelus Domini apparuit in somno Josepho, & præcepit ei ut surgeret, acciperetque puerum Jesum ac Mariam matrem ejus, & fugeret in Ægyptum, ibique remaneret usque ad aliam futuram suam admonitionem, quia Herodes quæsiturus erat puerum ad perdendum eum. Hinc Josephus consurgens accepit puerum & matrem ejus nocte & secessit in Ægyptum, ibique remansit usque ad obitum Herodis. Tunc Herodes videns quoniam illusus esset a Magis, iratus est valdè, & mittens occidit omnes pueros, qui erant Bethlehemi, & in omnibus finibus ejus, *a bimatu & infrà, secundum tempus quod inquisierat a Magis*.

Ex hac narratione sat patet Christi fugam in Ægyptum factam fuisse statim post Magorum discessum, cùm Herodes, videns se illusum a Magis, miserit ad occidendos pueros omnes Bethlehemi & finium ejus.

Igitur cùm Christus a Magis adoratus fuerit

rit die VI Januarii anni V ante æram vulgarem ex inferiori Propositione III, eum fugisse in Ægyptum ante ejusdem mensis finem necesse est, ibique remansisse ad minùs per circiter quatuordecim quindecimve menses, id est, usque post obitum Herodis Magni. Eo enim defuncto, teste Evangelio, *ecce Angelus Domini* (404) *apparuit in somnis Joseph in Ægypto, dicens: surge & accipe puerum & matrem ejus, & vade in terram Israel: defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. qui consurgens accepit puerum & matrem ejus, & venit in terram Israel.*

Reverà quidem silent Scriptores sacri de tempore, quo Christus moratus est in Ægypto; sed eum per plures menses ibi remansisse sufficienter innuunt, cùm Angelus Josepho jusserit ut longum susciperet iter in alterum Regnum, ibique remaneret usque ad alteram sui admonitionem. Id enim sat longum tempus indicat, nec de mense aut aliquot diebus intelligere licet. Sacræ igitur Scripturæ minimè repugnat superiùs assignatum tempus quatuordecim quindecimve men-

 fium

(404) Matthæus, ut n. 58.

ſium ad minùs (405), immò illud ſat apertè innuit.

Hæc porrò Propoſitio miro modo corroboratur auctoritate Sancti Epiphanii, quarto Eccleſiæ ſeculo ſcribentis (406): *ſiquidem anno Herodis XXXIII* (407), (ſeu VIII an-

(405) Pluribus enim menſibus remanere potuit. Unde Nicephorus lib. I, cap. XIV, huic exilio tribuit annos tres, Lucidus quinque, & Adricomius ſex; quod tamen omninò incompertum.

(406) Epiphanius, ut n. 19, l. I, t. I, *hær.* XX, n. II, p. 48.

(407) Hic apud Epiphanium additur *Augusti XLII*, ſed in hoc erravit, veram nempe Auguſti & Herodis epocharum concordiam ignorans.

Quod autem ejus error ſit in numero annorum Auguſti, non autem in numero annorum Herodis Regni, patet ex eo quod hæc ſcribens, quæ ad Chriſti Judæi nativitatem pertinent, præ oculis habebat ſcripta & monumenta Judaica, non verò Romana. Sic enim annum Herodis Magni benè indicavit; ſed, minus attendens, annum Auguſti ei corriſpondentem malè ſcripſit. Quemadmodum ſi hodiè, exempli gratia, quis italus res francicas ſcribat, ob ſcripta & francorum monumenta, quæ ſibi comparaverit, annum ortus Ludovici Magni haud dubiè rectè indicabit in æra noſtra Chriſtiano-vulgari; ſed ſi eumdem annum in Arabum hegira deſignare voluerit, facilè errare poterit, niſi peculiari utatur attentione & diligentia. Vide infrà *Propoſit. IV Coroll. XVII*.

ante æram vulgarem) *Bethlecmi in Judæa Salvator nascitur*, *atque* (408) *in specu circumcisus*, *Hierosolymis oblatus est*; *ibique a Symeone inter brachia susceptus* (409), *&* *ab Anna*, *Phanuelis filia*, *Prophetissa prædicatus*, *Nazaretum deportatus est*. *Tum anno sequenti* (410) *Hierosolymis se coram Deo repræsentavit*: *atque inde Bethleemum propter generis propinquitatem* (411) *a matre delatus est*. *Sed rursus Nazaretum rediens anno altero vertente* (VI nempe ante æram vulgarem) *Hierosolymam Bethleemumque*, *gestante matre*, *perductus est*. *Bethleemi porrò cùm ad ædes quasdam cum matre & Josepho divertisset*, *qui jam grandis natu cum Maria degebat*, *secundo ab nativitate anno a Magis* ado-

(408) Epiphanius, ut n. 19, lib. I, tom. I, *hæres. XX*, n. I, p. 47.

(409) Id. ibid. p. 48.

(410) Id est, ineunte anno XXXIV Herodis, primo Paschate post Christum natum. Teste enim Divo Luca, ut n. 61, p. 702, *ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem, in die solemni Paschæ*.

(411) Alibi Epiphanius, nempe ut n. 19, *hæres.* LI, p. 431, ait *ob eorum, quæ gesta illic erant, memoriam*. Quæ utraque ratio genuina videtur.

adorandi causâ conventus, ac donis ornatus est. Eâdem verò nocte, cùm Josephus per somnium ab Angelo esset admonitus, in Ægyptum transfertur, Herodis (412) anno XXXV. Unde (413) rursùs post biennium mortuo jam Herode, ac succedente Archelao revertitur. Quare necesse est (414) XXXVII Herodis anno quartum ætatis suæ puerulum egisse, cùm Herodes, inquam, septem ac triginta confectis annis vivendi finem habuit. Post hunc Archelaus novem annis imperavit; quo Regnum ineunte Josephus ex Ægypto cum Maria & puero digressus, ubi Archelaum imperare didicit, in Galilæam secessit, ac tum Nazareti consedit.

Si igitur Christus fugerit in Ægyptum statim post Magorum adorationem, anno XXXV Herodis, eum anno V ante æram vulgarem, mense Januario, fugisse necesse est. Cùm enim Herodes obierit anno IV ante eamdem æram, mense Martio, ineunte XXXVII Regni sui anno, ex superiori Propositione I, men-

(412) Epiphanius, ut n. 19, lib. I, tom. I, *haeres.* XX, n. II, p. 48.

(413) Id. ibid. n. I, p. 48.

(414) Id. ibid. n. II, p. 48.

mensis Januarius illius anni XXXV fuit Januarius anni V ante æram vulgarem. Ergò Christus hoc anno Ægyptum petiit.

PROPOSITIO III.

Magi, Christum adoraturi, venerunt Hierosolymam, exeunte anno VI ante æram vulgarem.

PLurimi Theologi, antiquiorum opinionibus imbuti, ac re non sat examinatâ, Evangelii verba variè interpretati sunt, unde varia tempora Magorum adorationi affixerunt.

R. P. Natalis Alexander, Dominicanus, vult (415) Christum a Magis fuisse adoratum die XIII, vel saltem ante quadragesimum a nativitate. Divus Augustinus, Doctor Ecclesiæ eximius, censet (416) etiam eum ab iisdem adoratum ante Beatæ Virginis purificationem; sed aliud in Evangelio me legere credo.

Magi enim, teste Evangelio, Hierosolymam

(415) Alexander, ut n. 12, cap. I, art. IV, p. 4.

(416) Aur. Augustinus *Oper*, tom. II, part. II, *de conf. Evangel.* lib. II, cap. XI. col. 42, edit. Parif. MDCXC, in fol.

mam venientes postulabant : *ubi est* (417) *qui natus est Rex Judæorum ? vidimus enim stellam ejus in Oriente & venimus adorare eum*. Stella igitur, quæ apparuit in Oriente, &, quâ duce, Hierosolymam venerunt Magi, non fuit signum nascituri, sed jam nati novi Regis. Nascente ergò Christo apparuerat. Hinc Herodes, ex Evangelio, *clam* (418) *vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis*, ut scilicet novi Regis nativitatis tempus disceret, sicque eum faciliùs invenire posset. Porrò postquam Magi per aliam viam reversi sunt in Regionem suam, Herodes, teste eodem Evangelio, *videns* (419) *quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus, a bimatu & infrà, secundùm tempus quod exquisierat a Magis*. Ergò didicerat a Magis stellam, signum ortûs novi Regis, eis apparuisse a duobus annis (420). Christus

(417) Matthæus, ut n. 58.

(418) Id. ibid.

(419) Id. ibid.

(420) Quidam putant apud Vossium, ut n. 50. num. XXXIII, p. 18, hanc consequentiam posse esse falsam, po-

ſtus igitur jam natus erat biennio ante obitum Herodis: cùmque ex inferiori Propoſitio-

potuiſſeque Herodem, *etiam ubi eluſum ſe a Magis vidit, quæ irato conceperat animo, in longum differre, partim Cæſaris Auguſti, partim peſſimi nominis formidine. Atque hoc ita contigiſſe veriſimilius fiet,* inquit Voſſius ibid. p. 19, *ſi verbis Matthæi, anteà etiam allatis, paullùm inſiſtatur. Ait Evangeliſta is hæc duo; priuſquidem Herodem clàm, arceſſitis Magis, accuratè ex iis perquiſiviſſe quo tempore apparuiſſet ſtella: at poſtea, ubi ab iis eluſum ſe vidit, ſatellitibus miſſis in Bethlehem, & ejus finibus, interfeciſſe pueros* a bimatu & infrà; *vel, ut breviùs cum Macrobio lib.2 Saturn. cap. 4, dicam,* intra bimatum: *atque hoc feciſſe* juxtà tempus quod exquiſierat a Magis. *Unde hoc conſequi videtur, ut ut Magi mox, nato Chriſto advenerint, non tamen infantes ab eo necatos, niſi biennio, vel ſaltem aliquot menſibus poſt. Ut ea ſit Matthæi verborum ſententia; Herodem ubi in animum revocavit, quando conſpectam ſibi ſtellam retuliſſent Magi, ſic ratiocinatum ſecum: quia quindecim menſes, vel, ſi malis hoc, biennium propè foret, quòd novus Rex natus diceretur; opus eſſe, quò regnaret ſecurus, ut e medio tollerentur, quotquot Bethlehemi bimuli eſſent, vel minores.*

At, inquias, ſubdit ibidem Voſſius, *cur non ſimul atque ſe deceptum vidit, cædem patravit? eò, dixero, quia credibile eſt, aliquid temporis abiiſſe, inqui-* ren-

tione IV constet etiam Christum natum esse exeunte anno VIII ante æram vulgarem, die XXV Decembris, patet Magos Hierosoly-

---

rendi Bethlehemi de nato puero: atque ubi ludere se operam vidit, necdum tamen ausum fuisse tam crudele facinus patrare; metuisse enim Romanos, metuisse subditos; ac propterea non anteà hoc scelus esse aggressum, quàm ubi animo jam, & corpore æger, tot etiam Rabbinos igni tradidisset; totusque in eo foret, ut Antipatro, vel si, ut puto, eum jam sustulerat, tribus saltem illis, Herodi, Antipæ & Philippo, Regnum securè, ac tutò relinqueret.

Hanc falsam esse Evangelii interpretationem plurimis ostendere possem. Id tamen omitto, quia minimè contra meam de natali Christi anno militat sententiam, cùm supponat Christum a Magis adoratum fuisse biennio antè Herodis mortem. Cùm enim iste, ex Propositione I, obierit anno IV ante æram vulgarem, & quidem ante Pascham, Christus a Magis adoratus fuisset ineunte anno VI ante eamdem æram. Ergò ineunte hoc anno VI Christus jam natus erat. Christus porrò, ex Propositionis IV Sectione IV in lucem prodiit die XXV Decembris; ergò pariter jam natus erat exeunte anno VII ante æram vulgarem. Cùm autem census, quo ortus est, actus fuerit in Judæa, ex eadem Propositione IV, exeunte anno præcedenti, omninò sequitur Christum natum esse exeunte anno VIII ante æram vulgarem.

lymam venisse exeunte anno VI ante eamdem æram mense Decembri, & paulò post ab iis Christum fuisse adoratum, nempe die VI Januarii ineuntis anni V ante æram vulgarem. Id idem ferè nos docuit Sanctus Epiphanius IV Ecclesiæ seculo, ut dicturus sum infrà Corollario II.

Iis igitur prælibatis, inquirendum est, nùm contra assignatum tempus, quo Christum a Magis adoratum dico, quid valeant argumenta opinionesque eorum, qui aliter sentiêre.

COROLLARIUM I.

Minùs benè Gravesonius contendit Christum a Magis fuisse adoratum die XIII ab ejus nativitate; nec rem probabiliorem dicunt S. Augustinus & alii, scribentes eum adoratum ante Mariæ purificationem.

REV. P. Gravesonius, insignis Prædicatorum Ordinis Theologus, plurimas, ut suam probaret sententiam, attulit rationes, quas nunc perpendere oportet.

I. Enim ait (421) sententiam, quam ample-

(421) Ignat. Hyac. Amat. Gravesonius *Tract. de vit. myst. & ann. J. C.* tom. I, Dissert. VIII, p. 197, edit. Romæ MDCCXXIV, in 4.

plexus ſum, apertè adverſari antiquæ Eccleſiæ traditioni, quæ docet Chriſtum adhuc in pannis, in gremio matris, atque in Præſepio collocatum, adoratum fuiſſe a Magis XIII die ex quo natus eſt.

Verùm primò, hæc Eccleſiæ traditio non eſt unanimis, cum Sanctus Epiphanius (422), Origenes (423), Euſebius (424) & alii, ſcripſerint Chriſtum a Magis fuiſſe adoratum biennio poſt ejus nativitatem. Secundò, veterum Eccleſiæ Patrum auctoritas, omni reverentiâ & veneratione digna in rebus fidei & religionis, tanti non eſt ponderis in Chronologicis, niſi firmis nixa ſit argumentis. Jam enim ſuperiùs adnotavi Eccleſiæ Doctores græcos & latinos varia quolibet ſeculo docuiſſe de Chriſti nativitatis anno, immò in eo aſſignando erraſſe omnes. Quid plura? Eccleſia in vulgata ſacrorum Bibliorum

(422) Epiphanius, ut n. 19, vol. I, lib. II, tom. I, *hæreſ.* LI, n. IX, p. 431.

(423) Origenes.

(424) Euſebius *catena græca* manuſcripta Bibliothecæ Regio-pariſienſis in cap. 25. Matthæi, teſte Alexandro, ut n. 12, tom. III, cap. XIII, Diſſ. II, quæſt. I, p. 73.

rum editione admittit Hebræorum Chronologiam; in Martyrologio verò Græcorum annis utitur, quæ certè non parùm inter se differunt.

II. Ex Gravesonio (425), Matthæus non obscurè innuit Christum a Magis adoratum fuisse paulò post ejus nativitatem, dum dicit: *cùm natus esset Jesus, ecce Magi ab Oriente venerunt*. Si enim quando Magi Bethlehemum venerunt, Christus fuisset bimus, non dixisset Evangelista: *cùm natus esset Jesus, ecce Magi ab Oriente venerunt*. Nam vox *ecce* non dicitur de re tam sera, sed potiùs de subita & improvisa, vel certè proxima & quasi præsenti dici solet, sicut compertum est ex benè multis Scripturæ sacræ locis.Ptætereà idem Evangelista narrationem ortûs Domini, Angelorum nuntium, Pastorum officia, nullo alio interjecto, cum Magorum adventu connectit. Quod quidem demonstrat Magos, paulò post nativitatem Christi, hoc est, decimo tertio die ex quo ortus est Christus, ad illius cunas accessisse.

(425) Gravesonius, ut n. 421, p. 197.

Verùm primò, vox *ecce* in laudato Matthæi loco nihil aliud significat quam *post*, ita ut sensus sit *post Christi ortum venerunt Magi ab Oriente*. Sic apud eumdem Matthæum, paulò post laudata verba, legitur: Magi *cùm recessissent, ecce Angelus Domini* jussit Josepho ut cum puero & matre ejus fugeret in Ægyptum. Ubi vocem *ecce* Gravesonius in sua sententia interpretari tenetur *sat longe post*, non verò *statim*, aut *extemplò*, aut *repentè*, cùm voluerit Josephum inter Magorum adorationem & fugam in Ægyptum, petiisse Hierosolymam ad Mariæ purificationem, & deinde Nazarethum, ut narrat Divus Lucas. Secundò, ideò Sanctus Matthæus, in Evangelio, narrationem ortûs Domini, Angelorum nuntium, Pastorum officia, cum Magorum adventu connectere videtur, quia de Christi prædicatione fusiùs scripturus, vitæ ejus privatæ gesta paucissimis tantùm verbis attingit.

III. Si Magi, inquit clarissimus Gravesonius (426), biennio dumtaxat post natale Jesu Christi ad ejus cunas accessissent, Hero-

(426) Id. Ibid.

rodem, Judææ Regem, in vivis invenire haud potuissent; quia Herodes Rex e vivis excessit anno post natale Christi elabente; quod se ostendisse ait in sua Dissertatione VI.

Verùm, in hac Dissertatione VI sophismate tantùm, seu argumento falso, ostendit Christum natum anno ante Herodis obitum. Eodem enim modo ibi argumentatur ac Vaillantius:

Christus (427), *Evangelio teste, natus est regnante Herode in Judæa:*

atqui Herodes obiit anno IV ante æram vulgarem:

ergò Christus natus est anno præcedente, seu V ante æram vulgarem.

Nemo enim non videt, ut dicturus sum inferiùs Propositionis IV Corollario XIX, hujus argumenti consequens minimè esse ex præmissis deductum. Ex his enim concluditur Christum jam natum esse ante mortem Herodis, non verò eum natum esse anno ante mortem Herodis. Anno enim ante Herodis obitum nullus universi Imperii Romani assignatur census, quo, ex superiori Axioma-

(427) Id. ibid. Differt. VI, p. 126.

te IV, natus eſt Chriſtus; immò nullus eſſe potuit, cùm triennio ante, ex ſequenti Propoſitione IV, talis cenſus actus fuerit. Herodes igitur non obiit anno poſt Chriſti nativitatem, nec conſequenter moveor Reverendi Graveſonii ratiocinio.

IV. Sancti Patres Hieronymus (428) & Bernardus (429), proſequitur Graveſonius (430), diſertè tradunt Chriſtum in vili tugurio pannis involutum, a Paſtoribus fuiſſe inventum & a Magis adoratum. Porrò ſi Magi biennio dumtaxat poſt Chriſti natalem diem Hieroſolymam adventaſſent, puerum Jeſum non in vili tugurio, ſed in vico Bethlehemitico, adorare potuiſſent, quippe quem parentes ejus, die ab ortu quadrageſimo, ad purificationis officium implendum, Hieroſolymam tulerant; inde verò non ultrà Bethlehemum redierunt, ſed *reverſi ſunt in Galilæam in civitatem ſuam Nazareth*, ut habetur Lucæ cap. II.

Verùm, laudatorum Patrum ſententia paſum admodùm adverſatur mihi, qui credo pau-

(428) Hieronymus *epiſt.* 17 ad Marcellam.

(429) Bernardus Sermon. 1 & 2 de Epiphania.

(430) Graveſonius, ut n. 421, p. 197.

pauperis Josephi domum seu habitationem tùm Bethlehemi, tùm Nazarethi, vile tugurium iis aliisque dici potuisse: ast adnotare teneor Gravesonium, qui Ecclesiæ Patrum auctoritatem hac in re plurimi facit, apertè tamen contradicere Divo Epiphanio, licet laudatis Patribus antiquiori. Hic enim distinctis verbis nos docet Christum Bethlehemum rediisse secundo a nativitatis anno, & ibi tunc temporis a Magis fuisse adoratum, ut inferiùs Corollario II dicturus sum. Si hæc non ignoraverit Gravesonius, cur volens omisit?

V. Accedit prætereà, ait Gravesonius (431) traditio Ecclesiæ latinæ, quæ ab initio saltem quinti seculi *Epiphaniam*, seu adventum, & adorationem Magorum diei VI Januarii, hoc est, ante purificationem Beatæ Virginis affixit, cui traditioni Ecclesiæ indivulsè stare debemus.

Verùm, & ego credo Christum a Magis fuisse adoratum die VI Januarii, ob rationes superiùs allatas; sed inde minimè sequitur, quod Magorum adoratio præcesserit Mariæ purificationem. Quid responderet

P 3 eru-

(431) Id. ibid. p. 199.

eruditus Gravesonius si quis diceret:

Ecclesia Christi Baptisma celebrat die VI Januarii:

Atqui Mariæ purificatio celebratur tantùm die II Februarii;

Ergò Christi Baptisma præcessit Mariæ purificationem.

Aut si quis alter ita ratiocinaretur:

Ecclesia Christi circumcisionem celebrat primâ Januarii:

Atqui Christi conceptio celebratur tantùm die XXV Martii;

Ergò Christi circumcisio præcessit ejus conceptionem.

Parcat Lector si ejusmodi nugas scripserim. At cur Scriptores quidam talia in re gravi proponunt argumenta?

VI. Constat, subjungit Gravesonius (432), Herodem valdè turbatum esse cùm Magi Hierosolymam venêre, quærentes novum Regem. Porrò si Magi post purificationem dumtaxat Beatæ Virginis Bethlehemum pervenissent, non fuisset haud dubiè Herodes animo turbatus, quando Magi Hierosolymæ Chri-

(432) Id. ibid.

Christi, seu novi Regis nativitatem nunciarunt, nec convocasset Herodes Sacerdotes legis peritos, ut dignosceret locum, in quo novus ille Rex, seu Messias nasciturus erat. Hæc quippè Herodes jamjàm perspecta omnia habuisset ex his, quæ in purificatione Beatæ Mariæ Virginis contigerant, videlicet ex prædictionibus Annæ & Simeonis, de divino Infante in templo Hierosolymitano factis, quæ quidem prædictiones, cùm omnium sermone celebrarentur, earumque fama in dies percrebresceret, Herodem latere minimè potuerunt.

Verùm, quænam est ista argumentatio? cur ita perturbare historiam? quid? Vult Gravesonius ad Herodis cognitionem pervenisse ea omnia, quæ in purificatione Beatæ Virginis contigerunt, ita ut inde sciret puerum, in templo præsentatum, natum esse Bethlehemi, & ipsum esse Messiam, seu novum Regem Judæorum; Hinc, inquit, si Magi venissent post Mariæ purificationem, Herodes non fuisset animo turbatus, nec Sacerdotes interrogasset de loco ejus nativitatis, quia hæc jamjàm perspecta omnia habuisset. Sed si Magi venerint ante Mariæ pu-

purificationem, ut contendit Gravesonius, & Herodes omnia cognoverit purificationis tempore, cur se videns a Magis delusum, de innocentium cæde cogitans, Christum tunc quærens & ejus sanguinem ita spirans, cur, inquam, permisit eum Hierosolymâ egredi & Nazarethum tranquillè (433) redire? taceo.

Hæ

(433) Ad hæc tamen ita respondet Gravesonius ibidem: ideò Herodes ante purificationem Virginis suum furorem cohibuit, quia sibi fortè persuasit, Magos a se dimissos non reperisse puerum, quem quærebant, eosque pudore suffusos sua relegisse vestigia, nec Hierosolymam remeare voluisse, ne in vulgi fabulam abirent. At, ubi post purificationem (p. 200) Virginis, ex fama prædictionum Simeonis & Annæ, quæ per omnium ora volitabant, intellexit se a Magis delusum, & reverà natum esse novum illum Regem, sibi ab ipsis nunciatum, tunc excanduit Tyrannus & vehementer dolens de excussa sibi præda, impotenti furori laxavit habenas, atque e vestigio jussit omnes occidi pueros, in eam spem erectus, fore ut Christus, cujus vitæ insidias struebat, & cujus sanguinem sitiebat, in tam universali clade mortem effugere non posset. Hoc pacto sibi, Regno, rebusque suis meliùs consultum iri putavit immanissimus ille Tyrannus. Hanc difficultatem sic dirimit S. Augustinus lib. 2 *de consensu Evangeli-*

sta-

Hæ meæ responsiones sufficienter ostendunt Christum non fuisse a Magis adoratum ante B. Mariæ purificationem. Theologi (434) qui-

---

starum, ubi hæc habet: *omitto dicere quot & quantis occupationibus regia cura distendi poterat, & per plurimos dies ab illa intentione vel averti omninò, vel impediri. Illud dico, posteaquam Herodi Magi nihil renunciaverunt, eum credere potuisse, illos fallaci stellæ visione deceptos, posteaquàm non invenerunt, quem natum putaverant, erubuisse ad se redire, atque etiam, timore depulso, ab inquirendo & prosequendo puero quievisse. Deinde, vulgatis rebus, quæ in templo* (seu in die purificationis Mariæ Virginis) *factæ dictæve fuerant, Herodes se a Magis sensit delusum, & infantes occidit.*

Verùm, quid potest illud Gravesonii, *Herodes sibi fortè persuasit*, contra Evangelistarum auctoritatem, qui nos docent Herodem diligenter didicisse a Magis tempus apparitionis stellæ, eumque pueros a bimatu, seu biennio natos, occidisse secundum tempus, quod exquisierat a Magis?

(434) *Primò* Anonymi quidam apud Gravesonium, ut n. 421, p. 196, dicunt: Beata Virgo in die purificationis suæ non agnum, sed par turturum, aut duos pullos columbarum obtulit in templo, quod argumento est, eam non habuisse pretium agni, nec proinde aurum accepisse a Magis.

Huic

quidam plura argumenta in eodem probando attulerunt, ſed ita vana & frigida mihi viden-

---

Huic argumento reſpondet Graveſonius, ut n. 421, p. 197: nec obſtat quod Beata Virgo in die purificationis ſuæ obtulerit more pauperum par turturum, aut duos pullos columbarum; nam in hoc potiùs laudare, & mirari debemus liberalitatem ac beneficentiam Virginis, quæ brevi aurum acceptum a Magis in pauperes erogavit, nihilque ſibi retinuit, vel ipſius prudentiam, quod viaticum paravit mox fugitura in Ægyptum; vel denique ipſius modeſtiam, quia non decebat ut quæ pauper erat, ea divitum oblationem ſubitò inferret. Ab omni quippè faſtu & oſtentatione erat Virgo aliena, nec mutare conditionem illi erat animus, quam ſciebat Dei filio placuiſſe.

Hæc illi. Quid valeat argumentum, quid valeat reſponſio, perpendant alii.

Secundò, Iidem Anonymi, aut alii apud Graveſonium ibidem, p. 197, adnotant Herodem juſſiſſe occidi omnes pueros a bimatu & infrà, ſecundùm apparitionis ſtellæ tempus, quod exquiſierat a Magis: non eſſe autem credibile, Herodem voluiſſe bimos mactare pueros, ſi ab ortu ſtellæ ad Magorum adventum non niſi XIII dies interfluxiſſent.

Prior hujus ratiocinii pars plurimùm valet contra ſententiam de Magorum adoratione XIII die a Chriſti ortu, eaque uſus ſum; ſed poſterior minimi mihi vide-

dentur, ut ea proponere non auderem.

CO-

detur momenti, quia pendet ab Herodis voluntate & consilio, quæ omninò ignoramus. Unde Gravesonii responsionem permitto, cùm & ipsa nitatur momentis incertis, ut pote ignotis.

Nec magis urget, inquit ibid. p. 198, alia ratio, quam opponunt adversarii, videlicet Herodem jussisse occidi pueros a bimatu & infrà; nam primò dici potest, inter apparitionem stellæ & Magorum adventum intercessisse quidem tredecim dumtaxat dies, sed Herodem ira & furore percitum, tempus ex propria malitia ampliasse, sicut reverà ampliavit locum occisionis puerorum. Quamvis enim probè sciret Herodes tam ex prophetia Michææ, quam ex Sacerdotum atque Scribarum responso, Christum natum esse in Bethlehem, omnes tamen pueros trucidari jussit non solum in Bethlehem, sed in omnibus finibus ejus. Quemadmodum ergò Herodes fibulam crudelitati suæ laxavit extrà Bethlehemum sæviendo, ne fortè in ejus confinio latitaret Rex, recens natus, sic stimulante furore extendit temporis periodum, ne sibi illius carnificinæ fructus periret. Sic sentit Sanctus Chrysostomus homil. 7. in Matthæum, ubi hæc habet: *quod si a biennio & infrà Herodes pueros interfecit, ne mireris. Siquidem conveniens in eumdem Tyrannum pavor & furor, pro abundantia cautionis & licentia persecutionis, majus etiam tempus includit, ne quis profectò*

ejus

COROLLARIUM II.

Minùs benè putat Alexander Christum, ante fugam in Ægyptum, Bethlehemum non rediisse.

ITA verum existimant RR. PP. Natalis Alexander (435) & Gravesonius (436), aliique, Christum Bethlehemi a Magis fuisse ado-

ejus ætatis, & fortè is, propter quem & alii interimuntur, effugiat. Dici etiam potest, subjungit Gravesonius, puerulos bimos ideò ab Herode fuisse occisos, quia timebat sceleftus ille Tyrannus, ne puer, scilicet Christus, cui sydera famulabantur, speciem suam paulò suprà ætatem, vel infrà, transformaret, sicque carnificum manus effugeret.

Ne quis tamen moveatur ea Gravesonii inter tempus & locum comparatione. Utrumque enim comparationis extremum falsum ostendunt sacræ paginæ. Teste enim Evangelio, *Herodes mactavit omnes pueros bimos secundùm tempus stellæ, quod diligenter exquisierat a Magis*, non verò abundantia cautionis. Id pariter egit *Bethlehemi & in omnibus finibus ejus*, id est, in Bethlehemi territorio, quia verè quis dicitur natus aut Civis alicujus Urbis, si in territorio ejusdem Urbis natus fuerit aut commoretur.

(435) Alexander, ut n. 12, cap. XIII, Differt. II, quæst. I, p. 73.

(436) Gravesonius, ut n. 421, p. 197.

adoratum, ut de eo probando non cogitaverint; immò eo argumento usi fuerint contra Magorum adorationem biennio post Christi nativitatem, quia, Evangelio teste, parentes ejus die ab ortu quadragesimo ad purificationis officium implendum, Hierosolymam tulerant Jesum, unde, *ut perfecerunt omnia* (437) *secundùm legem Domini, reversi sunt in Galilæam, in civitatem suam Nazareth.*

Eo moti mihi videntur quòd in Matthæi Evangelio ita ferè narretur Magorum adventus & adoratio: *post natum Jesum Bethlehemi* (438), *venerunt Magi Hierosolymam, dicentes: ubi est qui natus est Rex Judæorum? legis periti, ejus nativitatis tempus ignorantes, responderunt: scimus Christum Bethlehemi esse nasciturum. Hinc Herodes misit eos Bethlehemum.* Ergò, mihi videntur concludere Theologi, Magi Bethlehemum petierunt, & ibi Christum adoraverunt.

Verùm, consequentia hæc potest esse falsa. Minimè enim ex Evangelio constat Magos, Hierosolymâ abeuntes, Herodis consilio

(437) Lucas, ut n. 61, p. 702.

(438) Matthæus, ut n. 58.

lio aut mandatis obtemperasse; sed Magi, Evangelio teste (439), *cùm audissent Regem abierunt; & ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, usque dum veniens staret suprà, ubi erat puer. Videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno valde, & intrantes domum invenerunt puerum cum Maria, matre ejus, & procidentes adoraverunt eum*. Ibi porrò non dicitur Magos Bethlehemum iter fecisse, sed tantùm eò, ubi puer erat. Ii, Hierosolymam venientes, & stellam ducem tùm non videntes, quæsierunt de loco ubi novus Rex natus erat; sed Hierosolymâ proficiscentes, ac iterùm stellam perspicientes, jam de Pontificum responsione, Regisque consilio, non ampliùs curarunt, sed certiorem ducem stellam sequuti sunt.

Non igitur, Evangeliorum ope, dirimi potest quæstio de loco, ubi Christus a Magis fuit adoratus. Verùm duce Sancto Epiphanio, inter Ecclesiæ Patres ex antiquissimis uno, ac de Christi Chronologia omninò benè merito, Magos Bethlehemum venisse credo, ibique Christum adorasse.

San-

(439) Id. ibid.

Sancti Doctoris verba hic fusè laudabo, quia iis & Alexander planè refellitur, & Problema propositum omninò ferè solvitur.

Unicuique Evangelistarum concessum est, inquit (440), *ut quæ singulis & temporibus & opportunitatibus gesta erant, verissimè perscriberet. Itaque Matthæus, cum id unum exposuisset, de Spiritu Sancto susceptum illum ac genitum, de circumcisione tacuit: nec ullam earum rerum attigit, quæ ante biennium acciderunt; sed Magorum demùm enarravit adventum, quemadmodum verissimus Dei sermo testatur; cùm scilicet* tempus a Magis exquisivit Herodes, *ac de stella quæ apparuerat accuratè sciscitatus est. Ad hæc Magorum commemorata responsio,* de duobus annis & infrà: *ut diversum ab eo tempus esse constet, quod Lucas narratione suâ complexus est. Hic enim quæ ante biennium illud gesta sint, exponit. At Matthæus a nativitate statim ad secundum annum se contulit, & quæ post biennium acciderint, declarat. Quod Herodes animo reputans, postquam Magi aliâ viâ discesserunt, in illa inan tium turba deprehendi pueru-*

(440) Epiphanius, ut n. 19, *hæres.* 11, n. 1x, p. 430.

rulum illum, atque interfici posse crediderat. Infantes enim omnes, quotquot in agro Bethleemitico forent, a bimatu & infrà jussit (441) *occidi, ad illam usque diem, quâ apud se Magi fuissent. Ex quo quis non videat tùm, cùm Magi venerunt, bimulum fuisse puerum? siquidem ea rei gestæ narratio veritatem ipsam accuratissimè demonstrat. Etenim Lucas puerum simul ac natus est, fasciis involutum esse scribit; & in præsepi ac spelunca jacuisse, quòd nullus in diversorio locus esset. Tùm enim census habebatur: & qui bellorum temporibus, quæ sub Macchabæis extiterant, dispersi fuerant, quòvis terrarum pervaserant; adeò ut pauci omninò Bethleemi remanerent. Quare in quodam Evangelistarum exemplari Davidis Urbs dicitur; in alio verò vicus appellatur, quod agrum haberet angustissimum.*

Cùm igitur (442) *Augusti Imperatoris edictum esset allatum, qui hùc illùcque dissipati erant, cum familiis suis ad illum locum censendi gratiâ venire coacti, facilè compleverunt: ut propter hominum frequentiam nihil esset*

(441) Id. ibid. p. 431.
(442) Id. ibid.

esset in diversorio loci relictum. Post censum verò unusquisque eò, ubi domicilium collocarat, reversus est. Unde laxius ad habitandum spatium fuit. Itaque priore jam anno finito, & altero insuper, ob eorum, quæ gesta illic erant, memoriam eò se parentes Nazaretho, velut ad eamdem celebritatem, contulerunt. Quo tempore Magorum adventus ejusmodi quâdam opportunitate contigit. Tametsi non in eodem illo fortassis diversorio versabantur, in quo Mariam & Josephum descriptionis tempore mansisse Lucas testatus est. Neque enim Mariam in spelunca, ubi pepererat, repererunt, sed ut Evangelium narrat, stella illos ad illum locum perduxit, ubi erat puer. Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria, *non in præsepi vel in spelunca; sed in domo scilicet, ut accurata rei veritas, ac biennii intervallum exprimeretur, quod ab ejus natali ad Magorum adventum effluxerat. Eâdem illâ verò nocte, duobus a nativitate annis elapsis, Angelus apparuit, ac puerum cum matre in terram Ægypti jussit abducere. Idcircò non jam Nazarethum Josephus regreditur; sed cum puero ac matre fugit in Ægyptum; ubi biennio altero commoratus est: at-*

que ita rursùm post Herodis obitum Angelus eumdem, ut in Judæam rediret, admonuit. Quippe (443) *XXXIII Herodis anno natus est Dominus, ejusdemque XXXV Magi venerunt. deinde XXXVII Imperii anno moritur Herodes, cui successit Archelaus.*

Hanc priorum Christi annorum historiam, quam, nonnisi post excogitatam ex Evangelio, Flavio Josepho, Lapide Ancyrano, & nummis antiquis, Problematis solutionem, legi, hîc lubenter transcripsi, quia Sanctus ille Doctor, qui plurima monumenta & scripta, nobis hodiè incognita, præ oculis habebat, ipso quarto Ecclesiæ seculo memoriæ mandavit, quæ etiam nunc nos docent varia, & quidem coætanea ac sibi convenientia monumenta.

Minùs benè igitur scripsit Gravesonius (444) Christum non ultrà Bethlehemum rediisse post Mariæ purificationem, cùm, teste Epiphanio, Bethlehemo profectus fuerit in Ægyptum statim ferè post Magorum adorationem. Magi enim *cum recessissent*,

(443) Id. ibid. p. 432.

(444) Gravesonius, ut n. 421, p. 197.

fiſſent, inquit Evangeliſta Matthæus (445), *ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph, dicens: ſurge & accipe puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum*. Unde patet jam antea Hieroſolymis peracta fuiſſe omnia pro Mariæ purificatione.

Quis tamen forſan dicet Matthæi vocem *ecce*, poſt Magorum diſceſſum, non magis indicare proximam fugam in Ægyptum, quàm vox eadem poſt Chriſti ortum indicat proximam Magorum adorationem, quam tamen biennio poſt factam ſcripſi.

Verùm, magnum eſt inter eas diſcrimen. Præter enim jam ſuperiùs a Divo Epiphanio adnotata, mihi quidem videtur id verbum in utroque loco redundare, & *poſteà* tantùm ſignificare, ſed rationes admodum graves oſtendunt *ecce* in priori rem proximam indicare, non autem in poſteriori.

Nam poſt Magorum diſceſſum, Herodes Rex, eorumdem Hieroſolymam reditûs valdè anxius, & paulò poſt videns ſe ab iis illuſum, haud dubiè ſtatim ferè miſit milites, qui pueros a bimatu & infrà occiderent,

(445) Matthæus, ut n. 58, p. 666.

rent; unde Josephus, cum Jesu & Maria, in Ægyptum fugere debuêre, non verò Hierosolymam venire ad Mariæ purificationem, ubi, quæ tunc de Jesu prædicta sunt, certè ad Herodis aures pervenissent, eumque manifestassent.

Ecce verò, post Christi nativitatem, Magorum adorationem tam proximam non indicare patet ex Divo Lucâ, narrante Mariam cum Jesu, post XL dies a nativitate, Hierosolymam venisse, & deinde Nazarethum rediisse, proindeque non statim, aut post aliquos dies, in Ægyptum fugisse.

PROPOSITIO IV.

Judææ census, quo natus Christus die XXV Decembris, actus est anno VIII ante æram vulgarem a procuratore Cyrino, tùm Syriæ Præside Saturnino, ac toto Orbe in pace composito.

I. IMperator Augustus, teste Suetonio (446) *censum populi ter egit: primum ac tertium cum Collega, medium solus.* Id ipsum testa-

(446) Suetonius, ut n. 309, cap. XXVII, p. 132.

ſtatur Auguſtus in celeberrimo vetere lapide Ancyrano (447), vitæ ſuæ breviario, cujus primæ tabulæ titulus eſt (448):

RERVM GESTARVM DIVI AVGVSTI QVIBVS ORBEM TERRARVM IMPERIO POPVLI ROMANI SVBIECIT ET IMPENSARVM QVAS IN REMPVBLICAM POPVLVMQVE ROMANVM FECIT INCISARVM IN DVABVS AHAENEIS PILIS QVAE SVNT ROMAE POSITAE EXEMPLAR SVBIECTVM.

In ſecunda autem ejus tabula ſic loquitur ipſe Auguſtus (449):

IN . CONSVLATV . SEXTO . CENSVM . POPVLI . COLLEGA . M . AGRIPPA . EGI . LVSTRVM . POST . ANNVM . ALTERVM . ET . QVADRAGESIMVM . FECI . (LEGI) QVO . LVSTRO . CIVIVM . ROMANORVM . CENSITA . SVNT . CAPITA . QVADRAGIENS . CENTVM . MILLIA . ET . SEXAGINTA . TRIA . MILLIA .... (450) CVM .

(447) Hoece pretioſum antiquitatis monumentum, apud ſuburbium Ancyræ repertum, quod Augerus Giſlenius Burbequius Turcarum immanitati ereptum, uti narrat Caſaubonus apud Graveſonium, in Europam aſportavit, ab Andrea Scotto, Lipſio, Grutero, aliiſque clariſſimis viris publicatum fuit.

(448) Apud Gruterum, ut n. 161, t. II, p. ccxxx.

(449) Apud eumd. ibid.

(450) Hic eſt Lacuna, ubi haud dubiè legebatur CONSVLARI, uti inferiùs.

IMPERIO . LVSTRVM . SOLVS . FECI . (LEGI) CENSOR ...
(451) SINIO .
COS . QVO . LVSTRO . CENSA . SVNT . CIVIVM .
ROMANORVM ...
QVADRAGENS . CENTVM . MILLIA . ET . DVCENTA .
TRIGINTA .
TRIA . MILLIA . CONSVLARI . CVM . IMPERIO . LVSTRVM ...
...... COLLEGA . TIB . CA .... SEX . POMPEIO . ET . SEX .
APPVLEIO . COS . QVO . LVSTRO . ET . ROMANORVM .
CAPITVM . QVADRAGENS .
CENTVM . L .... GINTA . ET . SEPTEM . MILLIA .

Ex hoc pretioso antiquitatis monumento omninò constat primum censum ab Augusto & Collega Agrippa peractum fuisse , dum ambo Consulatum gererent : hoc est , anno XXVIII ante æram vulgarem . Alterum , fuisse peractum ab Augusto solo , Consulibus Caio Mario Censorino & Caio Asinio Gallo, anno VIII ante eamdem æram . Tertium denique actum ab Augusto & Collega Tiberio , Romæ Consulibus Sexto Pompeio & Sexto Appuleio , anno XIV æræ vulgaris. Porrò

(451) Hic detritis elementis INO. ET. A. id est, unà cum existentibus CENSORINO. ET ASINIO. COS. minùs benè exscriptor apud Gruterum ob vestigia elementorum IN legit CENSORVM. .. SINIO. COS. quod nihil significat .

Porrò certum est apud omnes, nec per primum, nec per tertium censum, indicari posse verum & proprium natale Christi, sed tantùm per secundum censum, qui ex lapide Ancyrano, ab Augusto absque Collega editus est anno VIII ante æram vulgarem, seu IV ante obitum Herodis Magni. Eo igitur anno Christus natus est, cùm, ex IV Axiomate, Bethlehemi ortus fuerit, dum ibi agebatur census, & quidem, ut mox dicturus sum, exeunte anno, die nempe XXV Decembris, tribus annis, & tribus circiter mensibus ante Herodis mortem. Inferiùs, Corollario IV, adnotabo quàm benè consentiant Evangelium & lapis Ancyranus in assignando anno illius censûs universalis, ab Augusto solo peracti ad conficiendum breviarium suum.

II. Tùm porrò Syriæ Præses, seu Legatus erat Saturninus, ut patet ex veteribus nummis Vari, ejus successoris, superiùs Propositionis I Sectione III descriptis. Hinc Tertullianus, ipso secundo Ecclesiæ seculo, probans adversûs Marcionem, Christum hominem natum in carne mortali, ait (452):

(452) **Tertullianus**, ut n. 9, *adver. Marcion.* lib. IV, p. 532.

ſed & cenſus conſtat actos ſub Auguſto tunc (453) *in Judæa per Sentium Saturninum, apud quos genus ejus inquirere potuiſſent*. Nec obſtant Sancti Lucæ verba, quæ in editione vulgata leguntur (454): *hæc deſcriptio prima facta eſt a Præſide Syriæ Cyrino*. Hîc enim interpres paulò minùs benè ſcripſit *Præſide* pro *Cenſore*. Cùm enim vox græca *égemoneyontos*, quâ Sanctus Lucas Cyrini, ſeu Quirinii munus ſignificat, de quavis poteſtate paulò majore promiſcuè uſurpetur, ut norunt quotquot græcè norunt, & Quirinius ſeu Cyrinus non fuerit Syriæ Præſes, ſeu Legatus Proprætor, niſi anno VI æræ vulgaris, XIII circiter annis poſt primam Judææ deſcriptionem factam, teſte Joſepho (455); tùmque exiſteret Syriæ Præſes Saturninus, ut patet ex nummis antiquis & Tertulliano, hanc vocem interpres vertere debuiſſet *Cenſore*, aut *Procuratore*, non verò *Præſide*, quia titulus iſte latinè equivocatione laborat, & Quirinio non convenit, niſi ratione cenſûs.

Idem

(453) In laudata editione legitur *nunc* pro *tunc*, Typographi nempe errore.

(454) Lucas, ut n. 61, p. 701.

(455) Joſephus, ut n. 67, lib. XVIII, cap. I, p. 517.

Idem Sanctus Lucas Pilatum græcè vocat *êgemona*, licet propriè Præses non esset Judææ, sed tantùm Procurator; & Josephus eodem titulo ornat Volumnium, Saturnini Legatum.

Quod autem Cyrinus, seu Quirinius tunc temporis fuerit tantùm in Syria Procurator, patet auctoritate Sancti Justini, qui jam florebat medio secundo Ecclesiæ seculo, quique eum græcè tantùm appellat (456) *epitropon*, id est latinè *Procuratorem*, non *Præsidem*. Hæc autem auctoritas, genuinis Divi Lucæ verbis omninò quadrans, nobis sanè veneranda. Justinus enim, cujus altissima Philosophiæ ac Historiæ eruditio a celeberrimo Photio plurimùm commendatur, res judaicas, ut pote ipse Samaritanus, haud dubiè benè noverat. Census igitur, de quo agitur, actus est in Judæa a Procuratore Cyrino, sed nomine & auctoritate Præsidis Saturnini. Vide infrà Corollarium IV.

III. Docent communiter Sancti Patres Christum natum fuisse toto Orbe in pace composito. Id porrò verè dici potest de anno

(456) Iustinus Apolog. II.

no VIII ante æram vulgarem. Eo enim currente, pacatis Gallis ab Augusto, domitisque Germanis a Tiberio (457), nullum deinde per aliquot annos bellum in Orbe Romano gestum legitur. Hinc eruditus Tillemontius (458) existimat clausum fuisse hoc anno Jani templum ab Octavio Augusto in duodecim proximos futuros annos, de quibus loquitur Orosius (459). Et reverà quidem si circà hæc tempora Jani templum fuerit clausum per duodecim annos continuos, ut ait Orosius (460), hoc anno VIII clausum fuisse necesse est. Teste enim Dione (461) Augustus hoc anno semet & Tiberium, ob dictam victoriam, Imperatoris no-

(457) Teste Dione, ut n. 100, lib. LV, p. 338.

(458) Tillemontius *hist. des Emper.* tom. I, in Aug. art. X, p. 30, edit. à Paris MDCXI, in 4.

(459) Orosius lib. VI, cap. 22, p. 207.

(460) Orosius quidem scripsit anno Romano 752, seu secundo ante æram vulgarem, clausum fuisse Jani templum in duodecim proximos futuros annos. Sed per illud annorum spatium bellis notabilibus agitatum imperium fuit; unde aut erravit in anno assignando, aut forsan & in anno, & in annorum spatio. Hæc enim scripsit quinto seculo tantùm.

(461) Dio, ut n. 100, lib. LV, p. 338.

nomine ornavit. Porrò anno superiori IX ante æram vulgarem, Claudio Druso & Quinctio Crispino Consulibus, Augustus in iscriptione antiqua (462) dicitur PONTIFEX MAXIMVS, IMPERATOR XIII. Hoc igitur anno VIII appellatus est *Imperator XIV*, & reipsâ sic appellatur in epigraphe trophæi Alpium, ob eamdem victoriam dedicati, in honorem Augusti. Ea enim sic legitur apud Plinium (463): IMPERATORI CAESARI DIVI F. AVG. PONTIFICI MAXIMO, IMPERATORI XIIII, TRIBVNITIAE POTESTATIS XVII, S. P. Q. R. QVOD EIVS DVCTV AVSPICIISQVE, &c.

Augustus porrò duodecim tantùm post annos *Imperator XV* appellatus est, ut adnotavit laudatus Tillemontius (464); unde patere videtur nullum per id tempus fuisse notabile bellum in Imperio Romano, Janique templum tunc clausum remansisse, si reverà, ut

(462) Apud Gruterum, ut n. 161, tom. II, p. LXI, num. I.

(463) Caius Plinius secund. *nat. hist.* t. I, lib. III, cap. XX, p. 377, edit. Paris. MDCLXXXV, in 4.

(464) Tillemontius, ut n. 458, p. 30.

ut testatur Orosius, per duodecim annos fuerit clausum.

Sed etiam si errasset Orosius, certum tamen nobis est universum Orbem Romanum a bellis vacasse exeunte anno VIII ante æram vulgarem. Nulla igitur hac de re Sanctorum Patrum & traditionis controversia cum veteribus monumentis; proindeque quin Christus anno VIII ante æram vulgarem natus fuerit, nullum esse potest dubium.

IV. *Quoad diem autem nativitatis Christi* variæ etiam circumferuntur opiniones. Alii enim existimant eum natum XX Aprilis, alii XX Maii, alii mense Septembri, & alii tandem die XXV Decembris.

Hanc ultimam sententiam sequitur Ecclesia, solaque vera demonstratur veterum auctoritate. Teste enim Divo Augustino, qui florebat IV Ecclesiæ seculo, *sicut a Majoribus traditum* (465) *suscipiens Ecclesiæ custodit auctoritas, octavo enim Kalendas Aprilis conceptus creditur, quo & passus... natus autem traditur octavo Kalendas Januarias*,

(465) Aur. Augustinus *oper.* tom. VIII, *de Trinit.* lib. IV, cap. V, col. 816, edit. Parif. MDCXCIV, in fol.

rias, seu XXV Decembris. Et alibi (466) de Joanne sic loquitur Sanctus Doctor: *Nam ille natus est, sicut tradit Ecclesia, octavo Calendas Julias, cum jam incipiunt minui dies: Dominus autem natus octavo Calendas Januarias, quando jam dies incipiunt crescere*, solstitio nempe hiberno, quod Augusti ætate in fastis notabatur die XXV Decembris. Idem ferè tradit Sanctus Ambrosius (467), Augustino æqualis, unde subjungit (468): *benè quodammodo sanctum hunc diem natalis Domini solem novum vulgus appellat ... quod libenter amplectendum nobis est, quia oriente Salvatore, non solum humani generis salus, sed etiam Solis ipsius claritas innovatur*, cùm nempe dies crescere incipiant.

Sed

(466) Id. ibid. t. IV, p. II, *enarr. in psal.* CXXXII, n. II, col. 1490, edit. ibid. MDCXCI, in fol.

(467) Ambrosius Mediol. *oper.* tom. V, Serm. VIII, p. 9, edit. Romæ MDLXXXV, in fol.

(468) Id. ibid. Serm. X, p. 10. Eruditi tamen Benedictini, qui deinde Sancti Ambrosii opera iterum typis demandarunt, subdubitant ne sermo iste ad Beatum Maximum potiusquam ad Sanctum Ambrosium pertineat. Vide *opera* S. Ambrosii tom. II, ad calcem, edit. Paris. MDCXC, in fol.

Sed audiamus præsertim Sanctum Joannem Chrysostomum, insignem quarto seculo Ecclesiæ Doctorem, anno 386 (469), die XXV Decembris apud populum de die natali Christi sic concionantem (470): *quæ jam olim Patriarchæ parturierunt, Prophetæ prædixerunt, justi cernere cupierunt, ea evenêre, & finem hodierno die acceperunt; Deusque per carnem in terra visus est... nondum (471) decimus annus est, ex quo hic ipse dies manifestè nobis innotuit. Attamen, perinde ac si jam olim a multis annis nobis traditus esset, ita operâ vestrâ celebratus inclaruit... quid igitur hodierno die audire cupitis? quid aliud, quàm de hoc ipso dic? Nam multos etiam nunc inter se de eo ipso disceptare probè novi: & hos quidem illum reprehendere, alios defendere. Multus ubique de hoc die sermo, partim incusantium, quasi novus sit, nuncque recens invectus; partim eumdem propugnantium, tanquam antiquum ac vetustum, cùm & olim na-*

(469) Teste erudito Bernardo Montfauconio in Joan Chrysostomum *oper. omn.* t. II, *homil. in diem nat. Chr.* p. 352, edit. Paris. MDCCXVIII, in fol.

(470) Chrysostomus ibid. p. 354.

(471) Id. ibid. p. 355.

nativitatem ejus Prophetæ prædixerint, & jam inde a primordio ab ipsa Thracia Gades usque incolentibus manifestus & celebris fuerit. Agedum igitur, de hisce sermonem exordiamur.

Habeo porrò, prosequitur Chrisostomus (472), *tres ad probandum demonstrationes, per quas omninò intelligimus hoc ipsum esse tempus, quo Jesus Christus Dominus noster ac Dei verbum in lucem est editus . . .* ex Evangelio *liquet* (473) *primæ descriptionis tempore natum esse. Et cui veteres historiarum codices, qui Romæ publicè asservantur, lectitare libeat, perfacilè etiam tempus hujus descriptionis accuratè discere poterit. Cæterùm quid hoc ad nos, dicat aliquis, qui illic neque sumus, neque fuimus unquam? ausculta; neque diffidas, quia ab illis qui exactam hujus rei cognitionem habent, quique illam Urbem inhabitant, hunc diem accepimus: nam illi ipsi, qui illic commorantur, multò antè, & ex antiqua traditione ipsum celebrantes, ad nos usque illius notitiam nunc trasmiserunt. Neque enim Evangelista simpliciter nobis illud tem-*

(472) Id. ibid.

(473) Ait id. ibid. p. 356.

tempus indicavit; *ſed ita*, *ut etiam unà hunc diem nobis manifeſtum redderet*, *& exploratum*.

Ex hoc Sancto Doctore & aliis Eccleſiæ Patribus, quorum verba omitto, patet Chriſti nativitatem medio circiter quarto ſeculo celebrari cœpiſſe apud Græcos die XXV Decembris. Ratio autem quâ Græci eam tunc celebrare cœperunt eâ die, fuit quia Chriſtiani Romani, teſte Chryſoſtomo, eam *multò antè & ex antiqua traditione* die illâ celebrabant, *quam diem perfacilè diſcere potuerunt ex codicibus cenſuum*, *qui Romæ ſervabantur*.

Porrò ſi Romani *multò antè* medium quartum ſeculum Chriſti nativitatem celebraverint die XXV Decembris, eam haud dubiè jam celebrabant anno 250 æræ vulgaris. Cùm enim dicimus apud alios populos aliquid in more poſitum fuiſſe *multò antè*, nec ejus initium indicare poſſumus, centum ad minus annorum ſpatium intelligimus. Sed ſi Romani medio circiter tertio ſeculo Chriſti nativitatis feſtum inſtituerint *ex antiqua traditione*, hanc diem haud dubiè didicerunt ex ipſius Chriſti Diſcipulis. *Antiqua enim traditio* 150 annos ad minus indicat. Nec enim hodiè antiquam traditionem diceremus eam,

quæ

quæ ineunte tantùm ſeculo proximè elapſo incœpiſſet. Sed rem finiit Divus Chryſoſtomus, dum ſcribit ab ipſa Thracia Gades uſque Chriſti nativitatem eâ die a primordio fuiſſe celebratam. Nullum dubium igitur eſſe poteſt quin Chriſtus die XXV Decembris natus fuerit, & quidem anni VIII ante æram vulgarem, ut patet ex dictis.

Ex iis namque omninò concluditur Judææ cenſum, naſcente Chriſto, actum eſſe anno VIII ante æram vulgarem; unde concludendum eſt erraſſe Chronologos, qui aliter ſenſierunt tùm de anno cenſûs illius, tùm de anno natali Chriſti, ut abundantiùs patebit ex ſequentibus Corollariis.

COROLLARIUM I.

Errat Stampa ſcribens anno VI ante æram vulgarem factam fuiſſe primam Palæſtinæ deſcriptionem a Sulpicio Quirinio, ſeu Cyrino.

SUam probat ſententiam Stampa (474) inſignis ætatis noſtræ Chronologus, ex veteribus numiſmatis, ſuperiùs Propoſitionis I

R Se-

(474) Stampa, ut n. 254, col. 585.

Sectione III descriptis, ex quibus constat hoc anno VI remotum fuisse a Syriæ præfectura Caium Sentium Saturninum, atque ejus loco missum Publium Quinctilium Varum. Cùm enim Tertullianus (475) hanc Syriæ & Palæstinæ descriptionem, quam Divus Lucas tribuit Publio Sulpicio Quirinio, adscripserit Sentio Saturnino, *necesse est*, inquit (476), *dicere hanc descriptionem cœptam quidem a Sentio Saturnino, sed absolutam hoc anno exeunte, vel ineunte sequenti anno a Publio Sulpicio Quirinio, qui suam in Palæstina descriptionem peregit independenter a Publio Quinctilio Varo, Syriæ novo Præside.*

Verùm hîc nullam necessitatem deprehendo, nec magis moveor hoc clarissimi Stampæ ratiocinio, quàm dùm eruditus Natalis Alexander contrarium scribit, censum nempè illum cœptum fuisse a Quirinio, absolutum verò a Saturnino. Uterque enim non veterum auctoritate, sed proprio marte sua finxit, unde non mirum si in contrarias abierint partes.

Cen-

(475) Tertullianus *adver. Marcion.* lib. IV, p. 532.
(476) *Stampa*, ut n. 254, col. 585.

Censûs ille, de quo agitur, jussu Augusti & Præside Saturnino actus est in Judæa a Procuratore Quirinio, seu Cyrino, ut jam dixi Propositione IV, & fusiùs dicam inferiori Corollario IV. Hanc simplicem facti narrationem haud dubiè admisisset cl. Stampa, si illam agnovisset, complicatamque suam omisisset. Unde enim habuit I. censum cœptum fuisse a Saturnino, & absolutum a Quirinio? II. eum actum anno VI ante æram vulgarem? III. Quirinium censum peregisse independenter a Quinctilio Varo, Syriæ Præside? IV. Quirinium fuisse tùm (477) supremum Præsidem in Palæstina respectu censûs? V. censum illum fuisse secundam universi Orbis descriptionem? VI. censum Romæ cœptum anno VIII ante æram vulgarem, in Palæstina biennio post tantùm fuisse perfectum? VII. errare Gravesonium scribentem censum a Quirinio fuisse actum antequam adversus Homonadenses bellum suscepisset? VIII. Quirinium censum peregisse post debellatos Homonadenses? &c. Hæc enim omnia nullâ omninò nituntur auctoritate;

R 2 im-

(477) Id. ibid. col. 586.

immò plurima veteribus adversantur monumentis, ut passim dicam sequentibus Corollariis.

Nec magis probat quod subjungit cl. Stampa, scribens (478): *ut salvâ Tertulliani sententiâ, quâ asserit (479) factam hanc in Palæstina descriptionem a Sentio Saturnino, salva sit auctoritas Divi Lucæ, quâ asserit hanc eamdem descriptionem a Cyrino factam, dicendum est cæptam quidem fuisse antecedenti anno a Sentio Saturnino; sed hoc anno exeunte, a Quirinio completam, & Christum Dominum natum esse hoc anno exeunte*, VI nempe ante æram vulgarem. Ut enim jam adnotavi Propositione IV, & fusiùs dicam inferiori Corollario IV, hæ Divi Lucæ & Tertulliani auctoritates minimè contrariæ sunt, cùm nos doceant censum fuisse jussu Augusti in Palæstina peractum a Sulpicio Quirinio sub Præside Syriæ Saturnino, quemadmodum quidam hostes populi Romani jussu Senatûs aut Imperatoris debellabantur a Legatis nomine & auctoritate Proconsulis, rebus aliis detenti. Stam-

(478) Id. ibid. col. 587.
(479) Teste eod. ibid.

Stampæ ſententiam minùs benè amplexus eſt cl. Nauzeus, eamque ſic probare conatur: *evidens eſt*, inquit (480), *Divum Lucam locutum fuiſſe de ſecundo Auguſti cenſu, Romæ peracto anno VIII ante æram vulgarem. Porrò a cogitato cenſu ad ejus executionem, ad XL Præfectorum, de quibus Suidas, deſignationem; ad eorum adventum in Judæam, Româ ita diſſitam, unus alterve annus numerandus eſt. Ergò anno circiter VI ante æram vulgarem actus eſt cenſus in Judæa, Chriſtuſque natus.*

Verùm, quænam eſt iſta argumentatio? Quis Apollo Nauzeo ſuſurravit ejuſmodi rationes? Quid? Romani, ut apud veteres legere licet, ſæpius intra eumdem annum bella conceperunt, milites legerunt, exercitus compararunt, in Africam, in Aſiam tranſmiſerunt, Réges vicerunt, populos ſubegerunt, de iis Romam reduces triumpharunt. Et iidem Romani, & Auguſtus ipſe, non potuiſſent intra eumdem annum ſimplicem cenſum peragere? Auguſtus, omnes Imperii

 opes

(480) Nauzeus *ſur les ann. de J. C.* edit. apud *hiſt. de l'Acad. Roy. des inſcript.* tom. v, p.147, edit. *à Amſterdam* MDCCXLI, in 12.

opes & copias cognoſcendi cupidus, deſcriptionem univerſalem juſſiſſet anno VIII ante æram vulgarem, nec illam perficere potuiſſet niſi triennio poſt, anno ſcilicet VI ante eamdem æram, toto Orbe præſertim in pace compoſito? Aſt ejuſmodi rationes omittamus; iis enim in ſtomacho hiſtorico nauſeam moveret cl. Nauzeus.

Veri namque Hiſtorici rem ita concipiunt: Imperator Auguſtus anno VIII ante æram vulgarem, univerſi Imperii opes cognoſcendi cupidus, cenſum univerſalem decrevit, & decretum Romæ publicavit ineunte, ſi vis, menſe Aprili, ac ad provinciarum Præſides miſit. Ipſe Romæ cenſum egit, quo acto luſtrum fecit eodem anno, teſte laudato vetere lapide Ancyrano. Poſt duos, aut etiam, ſi ita deſideras, poſt tres menſes, ineunte nempè Julio in Syria decretum recepit Saturninus Præſes. Hic, ut mandatis obediret, illud Antiochiæ publicavit, & in varios tractus Procuratorem & Legatos ad cenſum in iis peragendum miſit. Quirinius, ſeu Cyrinus in Judæam veniens cenſum promulgavit, eumque egit anno exeunte, ut teſtatur antiquiſſima Eccleſiæ traditio.

Si

Si hæc non sufficiant, ut omninò evanescat fictio, ad sequens in eodem genere exemplum attendere velis. Anno VI æræ vulgaris ante Martium, quo Archelaus, Herodis Magni successor, decimum Ethnarchiæ suæ annum iniit, Judæi & Samaritani Legatos contra eum misère ad Cæsarem, qui post Martium Archelaum Romam vocavit, eumque Viennam in exilium detrusit Æmilio Lepido & Lucio Arruntio Consulibus, ut probavi Propositionis I Sectione IV, Josephi & Dionis auctoritate. Post Archelai exilium, ut ibidem dixi, patrimonium ejus adjudicatum fuit Fisco Cæsaris, qui ideò in Syriam misit Senatorem Quirinium, ut jura populis redderet, facultates censeret omnium. Hic, teste Josepho (481), *in Judæam venit jam attributam provinciæ Syriæ*, exeunte anno, ut videtur; & ejus tamen census, eodem teste (482), peractus fuit *anno ab Actiaca pugna trigesimo septimo*. Iste porrò annus iniit die secundâ Septembris ejusdem anni VI æræ vulgaris, proindeque intra aliquot tantùm

(481) Josephus, ut n. 67, lib. XVIII, cap. I, p. 517.
(482) Id. ibid. cap. III, p. 519.

tùm menses census ille Romæ conceptus fuit, censor in Syriam missus, ac descriptio peracta, licet graves adortæ fuissent seditiones. Cur igitur ad priorem censum peragendum necesse fuisset duorum triumve annorum spatio? Si ejusmodi fictiones absque ulla probatione admitterentur, jam nihil certum in Historicis haberetur.

COROLLARIUM II.

Errat Baronius scribens Cyrinum, seu Quirinium, nascente Christo, fuisse Syriæ Præsidem.

EMinentissimus Cardinalis Baronius, aliàs licet eruditissimus, miro modo turbavit seriem eorum, qui Syriæ præfuerunt exeunte seculo primo ante æram vulgarem, ineunteque primo ejusdem æræ, ut nimirùm nascente Christo, Syriæ Præsidem creare posset Cyrinum, seu Quirinium, qui sexto tantùm anno æræ vulgaris huic provinciæ præesse cœpit.

Ut autem ejus error in lucem faciliùs prodeat, hìc mihi texenda est series eorum Præsidum per aliquot annos. Post Agrippam

ex

ex Syria Romam reversum, teste Dione (483), anno Romano 741, seu XIII ante æram vulgarem, Syriæ Præses fuit Titius, ut patet ex Josepho (484). Deinde apud eumdem Josephum ejusdem provinciæ Præses legitur Caius Sentius Saturninus. Hujus successor fuit Quintilius Varus ex eodem Josepho, & quidem anno Romano 748 (a), seu sexto ante æram vulgarem, ut nos docent ejus nummi veteres, superiùs Propositionis I Sectione III descripti, anno circiter tertio ante Herodis Magni obitum, ut ibidem narravi ex Josepho. Varus autem Syriæ adhuc præerat anno Romano 750, seu IV ante æram vulgarem, ut patet ex iisdem antiquis ejus nummis & Josephi narratione. In Syriam deinde Præses missus est Volusius Saturninus, qui successorem habuit Quirinium, seu Cyrinum anno VI æræ vulgaris, ut dicam paulò inferiùs ex Josephi verbis cum vetere nummo col-

(483) Dio, ut n. 100, lib. LIV, p. 331.

(484) Josephus, ut n. 67, lib. XVI, cap. XII, p. 480, ubi Librariorum incuria scriptum legitur *Titum* pro *Titium*.

(a) Aut forsan etiam anno 747, seu VII ante æram vulgarem.

collatis. Anno tandem XII æræ vulgaris, seu 768 Romano in Syria Præses erat Silanus, ut nos docent ejus nummi antiqui, Antiochiæ cusi ineunte Tiberii Imperio.

Hæc certè in dubium revocare non licet, nec Eminentissimus Baronius, si allata numismata agnovisset, ita Syriæ Præsidum Chronologiam perturbasset.

I. *TITIUS*, *anno XIII ante æram vulgarem*; nec enim rem altiùs repetere vacat. Eum prætermisit Baronius, scripsitque: *putamus tamen* (485) *dilatum magistratum Agrippæ usque in sequentem annum Urbis septingentesimum quadragesimum secundum, quo anno Consulatum gessit unà cum Valerio Messalâ Quirinus, quo perfuncto magistratu, eumdem Quirinum esse missum in Syriam Præsidem, satis annuere videtur Tàcitus* (486), *dum agens de ejus funere, post Consulatum mox debellasse, inquit, per Ciliciam castella Homonadensium, ac sic insignia meruisse triumphi. Haud dubium est illos consuevisse in provinciis bella agere, qui illis præessent Proconsules, sive Præsides; nec*

(485) Baronius, ut n. 44, p. 41.

(486) Tacitus *Annal.* lib. 3.

nec ulla dubitatio est, sub provincia Syriæ Ciliciam esse redactam: quibus rationibus fateri opus est, Quirinum in Syriam Præsidem missum esse post suum Consulatum, anno ab Urbe condita septingentesimo quadragesimo tertio.

Verùm, id fateri minimè necesse. Josephus enim anno circiter post discessum Agrippæ, Syriæ Præsidem exhibet Titium, scribens de Herode, unà cum Archelao Rege Cappadociæ Antiochiam profecto: *ibi* (487) *Præsidem Syriæ Titium reconciliavit Archelao.*

Titius autem iste jam antea erat in Syria Legatus Agrippæ. Anno enim 734 Romano, seu XX ante æram vulgarem, Syriæ præesse dicitur Straboni, qui, loquens de Phraate Parthorum Rege, ait (488): *tantùm Cæsaris Augusti amicitiæ studuit, ut & illi Trophæa remitteret, quæ Parthi de Romanis erexerant; & vocàto in colloquium Titio, qui id temporis Syriæ præerat, quatuor ei filios legitimos obsides tradidit, Saraspadem, Cerespadem, Phraanum & Boonem.* Eruditus Nori-

(487) Josephus, ut n. 67. lib. XVI, cap. XII, p. 480.

(488) Strabo *rer. Geogr.* tom. II, lib. XVI, p. 1055, edit. Amstelædami MDCCVII, in fol.

risius (489), Casaubonum (490) sequutus, his Strabonis verbis minùs benè utitur, ut probet Titium Syriæ Præsidem fuisse anno Romano 742. Quæ enim ibi narrat Strabo, ad annum Romanum 734 referenda sunt, ut alibi fatetur ipsemet Norisius.

Montacutius (491) M. Titium e catalogo Syriæ Præsidum expunxit, quia Josephus eumdem græcè vocat *Titon*; & cùm Strabo *Titium* illum appellet, contendit Montacutius esse *depravatam Scripturam apud Strabonem. Legendum omninò, quemadmodùm dictum est, Titon, non Titium*. Verùm, ut testatur Eminentissimus Norisius (492), qui mihi hanc suppeditat responsionem, in antiquo codice Josephi, in Laurentiana Magni Ducis Etruriæ Bibliotheca, in Pluteo LXIX legitur græcè *ton ègemona Syrias Tition*, id est, *Syriæ Præsidem Titium*. Rursùs in Pluteo LXVI, in quinque manuscriptis codicibus latinis inter-

(489) Norisius, ut n. 121, cap. XVI, §. IX, col. 476.

(490) Isaac Casaubon. *de reb. sacris*. Exercit. I, num. XXX, p. 123, edit. Genevæ MDCLV, in 4.

(491) Montacutius apud Norisium.

(492) Norisius, ut num. 121, cap XVI, §. IX, col. 479 & seqq.

terprete Rufino, legere licet *Syriæ Procuratorem Titium*, quod ipſum in antiqua editione apparet. At Galenius græcum codicem corruptum offendens, nempè editum Baſileæ anno 1544, ubi *Titon* legitur, *Titum* reddit. Apud Plutarchum (493) etiam græcè legitur *Titos Kai plagkos*, cùm tamen ex latinis Scriptoribus ac Dione dicendum ſit *Titius ac Plancus*. Nuſquam Hiſtorici prænomine viros deſignant, ſed illos nomine familiæ, aut cognomine appellant. Titus autem prænomen eſt Romanis familiis promiſcuè uſurpatum. Tiberius Imperator ac Veſpaſiani filius Titus per antonomaſiam ſolo prænomine deſignantur. Si verò nomen familiæ proximè dixeris, poteris ſolo poſteà prænomine, non additâ familiâ, hominem indicare.

Hunc verò ſuum Titum addito nomine familiæ, Montacutius deſignans ait (494): *Titus ille Joſephianus, Titus eſt Volumnius, qui Legatus Sentio Saturnino Præſide, & Procurator Judææ, in Syria cum ſubordinario imperio verſabatur*. At quis Apollo eidem inſur-

ſur-

(493) Plutarchus *in Antonio*.
(494) Montacutius apud Noriſium.

ſurravit Volumnium *Titi* prænomen tuliſſe? Joſephus, qui unus Volumnii meminit, prænomen omiſit. Veluti hoſpes in Romana hiſtoria, Legatum & Procuratorem confundit Montacutius, ac Volumnium Legatum & Procuratorem Judææ appellat. Id enim temporis Herodi Regi Judæa parebat, eratque extrà juriſdictionem Procuratoris Syriæ, qualis erat Volumnius. Sabinus, Syriæ Procurator, poſt mortem Herodis, cùm ejuſdem pecuniam ad Auguſti Fiſcum ſpectare contenderet, nondum ulli filiorum Herodis regno ab Imperatore ſancito, omnium primus poſt annum Romanum 716 poteſtatem intra Judæam exercuit. At, inquit Montacutius (495): *qui Cæſaris res in Syria adminiſtrabant, Syriæ vel Judææ Procuratores indifferenter dici poterant, cùm ſub Syriâ provinciâ Judæa cenſeretur*. Sed regnante Herode Judæa neutiquam ſub Syria, quæ a Romanis magiſtratibus regebatur, cenſeri poterat, cùm proprio Regi pareret. Hinc cùm poſteà Archelaus regno Judaico ab Auguſto privatus fuiſſet, Judæa in formam provinciæ re-

(495) Id. ibid.

redacta, sub Syria censeri cæpit. Rectè Josephus, qui gentis suæ res longè meliùs quàm Montacutius novit, scripsit (496): *Quirinius in Judæam venit jam attributam provinciæ Syriæ*; & anteà (497): *Cæterùm ditione Archelai contributâ Syriæ, missus est illò a Cæsare vir consularis Quirinius.*

Cùm autem Rufinus, Josephi interpres, verba illa græca *ton égemona Syrias Tition* latinè reddidisset: *procuratorem Syriæ Titium*, Montacutius interpretationem laudans ait (498): *cum, cum* Præsidem *non fuisse intelligeret, sed Procuratorem, id quod erat*, Procuratorem *dixit*. At, quæso, a quonam id Rufinus potuit intelligere, qui quadringentis post Titium annis inter homines ambulavit? Utinam Montacutius Rufini codicem inspexisset, sanè vidisset *Titium* ab eodem scribi; unde nec *Titium*, hoc est, nomen familiæ in prænomen Titii e familia Volumnia viri commutasset. Equidem quare Rufinus maluerit *Procuratorem* Titium appellare, quàm Præ-

(496) Josephus, ut n. 67, lib. XVIII, cap. I, p. 517.

(497) Id. ibid. lib. XVII, cap. XV, p. 517.

(498) Montacutius apud Norisium.

Præfidem, omninò ignoro. Scio Procuratores dici etiam interdum *égemonas* Josepho; fed tamen vox illa græca magis propriè Præfidem fignificat; & cùm Josephus eo tempore nullum alium Syriæ Præfidem defignet, minimè dubitandum quin Titius Præfes fuerit. Quod enim ait Baronius Quirinum Agrippæ fucceffiffe, omninò falfum demonftratur apud eruditum Norifium (499), ad quem ne longior fim, lectorem remitto.

II. *SATURNINUS, anno circiter IX ante æram vulgarem*. Quo præcisè anno Caius Sentius Saturninus in Syriam Præfes miffus fuerit, inveftigare nimis longum. Sufficit mihi hîc annotare eum immediatè Titio fucceffiffe. Josephus enim omninò innuit (500) Herodem Magnum Romam proficifcentem reliquiffe in Syria Titium Præfidem, inde verò reverfum in Judæam inveniffe ejus loco Saturninum, proindeque iftum fuiffe immediatum Titii fucceforem, cùm Herodes per annum ad fummum Romæ remanferit. Eum

(499) Norifius, ut n. 121, cap. XVI, §. XII, col. 503 & feqq.

(500) Josephus, ut n. 67, lib. XVI, cap. XIII, p. 480 & 481.

Eum circa idem tempus Syriæ Præsidem admisit Cardinalis Baronius, sed Collegam minùs benè ei adsignavit, dicens (501): post Quirinum *subrogatos putamus*, *quos scribit Josephus*, *Sentium Saturninum & Volumnium*, *quorum præfecturam diuturniorem fuisse*, *idem auctor testatur*. His enim verbis eruditus Cardinalis, eò quod Josephus aliquot locis Saturnini & Volumnii conjunctim meminerit, existimasse videtur idem fuisse amborum imperium. At illud falsum plurimis ostendit doctissimus Norisius (502), quæ hîc exscribere minimè necesse. Nam quando Josephus de Varo Præside successore loquitur, solum Saturninum nominat: *Quintilius Varus*, inquit (503), *successor Saturnino missus in Syriam*, anno scilicet VI ante æram vulgarem, ut modò dicam Sectione inferiori.

Saturninus porrò, ut patet ex Josephi historiâ, ubi sæpe ejus meminit, per aliquot annos Syriæ præfuit. Cùm igitur successo-

S rem

(501) Baronius, ut n. 44, p. 41.

(502) Norisius, ut n. 121, cap. XVI, §. X, col. 484 & seq.

(503) Josephus, ut n. 67, lib. XVII, cap. VII, p. 497.

rem habuerit anno VI ante æram vulgarem, Christusque natus fuerit exeunte anno VIII ante eamdem æram ex superiori Propositione IV, nullum dubium esse potest quin Syriæ, nascente Christo, Præses fuerit. Hinc Tertullianus, ut jam adnotavi ejusdem Propositionis Sectione II, ipso secundo Ecclesiæ seculo, Marcionem & alios revocat ad censum, quem idem Saturninus jussu Augusti tunc in Judæa egit, ubi Christi nascentis genus inquirere potuissent. Id fusiùs dicam inferiùs Corollario IV.

Saturnini Procurator fuit Quirinius. Hic missus in Judæam censum, quo Christus natus est, delegatâ auctoritate in ea egit. Reverà quidem Sanctus Lucas munus ejus significat voce græcâ *égemoneyontos*, quæ Præsidem sæpiùs indicat; sed cùm de majori quocumque magistratu etiam diceretur, & Sanctus Justinus Quirinium appellaverit græcè *Epitropon*, quæ latinè *Procuratorem* significat, quæque de Præside dici nequit, evidens est Quirinium fuisse tantùm Procuratorem, ut fusiùs dicturus sum infra Corollario IV.

III. *VARUS, anno VI ante æram vulgarem*, in Syria successit Saturnino. Hæc omninò

nò patent ex Josepho (504) & veteribus Vari nummis, quos descripsi Propositionis I Sectione III. Josephus enim & narratione & verbis ostendit Quinctilium Varum immediatum fuisse Saturnini successorem; nummi verò nos docent eum jam Syriæ fuisse Præsidem anno VI ante æram vulgarem, eidemque provinciæ præfuisse insequentibus annis V & IV ante eamdem æram. Hoc ultimo anno cùm obiisset Herodes Magnus, ut demonstravi eâdem Propositione I, quidam Simon regium nomen invasit; sed *is*, Tacito (505) teste, *a Quinctilio Varo obtinente Syriam punitus*. Varum igitur Syriæ præfuisse annis assignatis quis inficias ibit?

Baronius ipse, qui, cùm laudatos nummos veteres non cognovisset, Syriæ historiam, proprio marte excogitavit dicens (506): *anno verò ab Urbe condita septingentesimo quadragesimo octavo præficitur Syriæ totique orienti Caius Cæsar, Augusti filius adoptivus; quo defuncto, nullus alius subrogatus reperitur, nisi qui*

(504) Id. Ibid.

(505) C. Cornel. Tacitus *opera*, lib. v *histor.* p.428, edit. Antuerpiæ MDCXXVII, in fol.

(506) Baronius, ut n. 44, p. 41.

qui ab Evangelista recensetur idem qui suprà Quirinus, sive Cyrinus ... hic habuit successorem Quinctilium Varum, quem eodem auctore (507) *constat mansisse in eo magistratu usque ad consulatum Sulpitii Camerini & Poppæi Sabini, anno Christi Redemptoris nostri undecimo. cui non Quirinus, ut Josephus habet, sed M. Ambivius est subrogatus.*

Verùm nimis postulat Baronius, dum sibimet fidem desiderat potiusquam Josepho. Hic enim res suæ nationis, suique seculi narrat; Baronius verò scribit de extera natione, & quidem septemdecim seculis postquam res gestæ fuerunt. Josephus consentiens est cum monumentis coætaneis, ab iis verò dissentit Baronius. Utri potior fides?

Baronius vult Caium Cæsarem, post Saturninum, Syriæ præfuisse ab anno 748 Romano, seu sexto ante æram vulgarem. Sed hoc anno & duobus insequentibus Syriæ Præses fuit Quinctilius Varus, testibus Josepho & nummis antiquis. Præterea Caius Cæsar anno Romano 749, ab Augusto Consule XII virilem togam accepit, auctore Suetonio (508). Idem,

(507) Josepho nempe, ut videtur.

(508) Suetonius, ut n.309, lib.II, cap.XXVI, p.130.

Idem, cùm Herodes Magnus obiit anno Romano 750, ex superiori Propositione I, nondùm Româ discesserat, cùm, teste Josepho (509), judicio de Herodis successoribus adfuerit; nec in Orientem profectus est nisi anno Romano 753, seu primo ante æram vulgarem, ut ad probandum promptus essem, si necesse. Ergò Syriæ certè non præfuit annis a Baronio assignatis.

Immò etiamsi Caius annis Romanis 748, 749 & 750 in Syria fuisset, non esset tamen inter Syriæ Præsides numerandus. Quando enim in Asiam transmisit, non uni Syriæ præpositus fuit, sed toti Orienti cum imperio proconsulari extraordinario, sub quo proinde Syria ac reliquæ provinciæ a suis Præsidibus ordinariis regebantur. Sic deinde quando Cæsar Germanicus jus ac imperium in Syria habuit, ejus tamen Præses erat Cneus Piso, ut patet ex eorum dissensionibus, quas Tacitus (510) narravit. Malè igitur inter Syriæ Præsides recensetur Caius, ab anno præsertim 748 Romano.

S 3 IV. VO-

(509) Josephus, ut n. 67, lib. XVII, cap. XI, p 508.
(510) Tacitus, ut n. 505, *annal.* lib. II variis locis.

IV. *VOLUSIUS SATURNINUS anno I ante æram vulgarem* Syriæ præficitur. Hujusce Præsidis non meminerunt veteres Scriptores; sed nummus antiquus (*a*) ex ære parvo, quem e proprio nummophylacio æri demandavit cl. Pellerinius (*b*) nos docet eum Syriæ præfuisse anno V æræ vulgaris. In antica enim parte exhibet caput Jovis lævam versùs, in postica verò muliebrem Antiochiæ urbis genium, rupibus sinistrorsùm insidentem, cum epigraphe græca **ANTIOΧΕΩΝ ΕΠΙ ΟΥΟΛΟ ΣΑΤΟΡΝΙΝΟΥ ΕΛ**, id est, moneta *Antiochensium sub Volusio Saturnino*, anno *trigesimo quinto*, æræ nempe Actiacæ, qui est 758 Romanus, & V æræ nostræ vulgaris. Hoc igitur anno Syriæ præerat Lucius Volusius Saturninus, vir Consularis (*c*), qui imperante Tiberio obiit anno ætatis XCIII. Eum porrò præfecturam iniisse existimo anno primo ante eamdem æram, quia anno insequenti VI æræ vulgaris

(*a*) Vide tab. I.

(*b*) Pellerin *recueil. de med. de peupl.* tom. II, pl. LXXVI, n. 15, edit. à Paris MDCCLXIII, in 4.

(*c*) Teste Columella lib. I, cap. VII, apud Harduinum in Plinium *nat. hist.* lib. VII, cap. XLVIII.

ris ſucceſſorem habuit Quirinium, ut modò dicam, qui, uti & Silanus poſt eum, per ſexennium Syriæ præfuerunt.

V. *QVIRINIVS*, *anno VI æræ vulgaris* Præſes in Syriam miſſus eſt, & Voluſio Saturnino ſucceſſit. Hinc errat Baronius (511) dum ait: Joſephus *ſcribit*, *Varum Præſidem Syriæ*, *& Sabinum Procuratorem Judææ præfuiſſe*, *& uſque ad finem Regni Archelai in eo munere perduraſſe*. Nuſquam enim id ſcripſit Joſephus. Immò novennium Regni Archelai paucis verſibus abſolvit (512), nec de Varo mentionem ullam fecit niſi ineunte Archelai Principatu, ſtatim poſt obitum patris ejus Herodis Magni. At iſtud ex Joſepho conſtat, Quirinium nempe, Romanum Senatorem, Archelao Romæ damnato anno VI æræ vulgaris, ut narravi ſuperiùs Propoſitionis I Sectione IV, atque Viennam Galliæ urbem in exilium deportato, miſſum fuiſſe (513) a Cæſare, ut *cenſum ageret per Syriam & ipſius Archelai domum*

 ven-

(511) Baronius, ut n. 44, p. 42.

(512) Vide Joſephum, ut n. 67, lib. XVII, cap. XV, p. 516.

(513) Id. ibid. p. 517.

venderet. Hic, subdit idem Josephus (514), rerum Judaicarum testis omnium optimus, *mittitur in Syriam ut jura populis redderet ... & in Judæam venit jam attributam provinciæ Syriæ, ut percenseret facultates ejus regionis Civium, & Archelai pecunias in potestatem suam redigeret ... Quirinius autem* (515) *venditis & confiscatis Archelai facultatibus, peractoque censu, qui incidit in annum trigesimum septimum post victum a Cæsare in Actiaca pugna Antonium, &c.*

Idem innuit Dio (516), scribens Archelaum, quem vocat Herodem Palæstinum, trans alpes fuisse relegatum, Æmilio Lepido & Arruntio Consulibus, anno nempe VI æræ vulgaris. Errat igitur Baronius (517) dicens Quinctilium Varum, quem etiam omninò malè facit Quirinii successorem, Syriæ præfuisse usque ad Consulatum Sulpitii Camerini & Poppæi Sabini anno Christi undecimo.

Non minor est ejusdem Baronii error, dum

(514) Id. ibid. lib. XVIII, cap. I, p. 517.
(515) Id. ibid. cap. III, p. 519.
(516) Dio, ut n. 100, lib. LV, p. 347.
(517) Baronius, ut n. 44, p. 41.

dum subdit (518): Quinctilio Varo *non Quirinus, ut Josephus habet, sed M. Ambivius est subrogatus*. Hic enim non fuit Syriæ Præses, sed tantùm Judææ Procurator, ut patet ex eodem Josepho, scribente (519): *cum Quirinio, Syriæ* Præside, *venit Coponius, Præfectus turmæ equitum, penès quem esset totius Judææ rerum administratio*. Et deinde (520): *paulò post Coponius Romam revertitur, successore accepto M. Ambivio... huic successit* (521) *Annius Rufus, quo Præside Cæsar fato functus est...* a Tiberio *Judæorum Præses missus est in Annii Rufi locum Valerius Gratus*. Isti igitur non fuerunt Syriæ Præsides, sed tantùm Judææ Procuratores, seu, ut ait Josephi interpres, Judææ Præsides; qui titulus haud dubiè Baronium decepit, ita ut Ambivium & ejus successores in Judææ administratione, Syriæ Præsides proprætores crediderit. Verùm præter Josephi auctoritatem habemus nummos ve-

(518) Id. ibid.

(519) Josephus, ut n. 67, lib. XVIII, cap. I, p. 517.

(520) Id. ibid. cap. III, p. 519.

(521) Id. ibid. p. 520.

veteres, qui nos docent ineunte Tiberii Imperio Syriæ præfuisse Silanum, ut modò dicam.

VI. *SILANUS*, *anno XII æra vulgaris*, & sex insequentibus, Syriæ fuit Præses proprætor, uti nos docent ejus nummi, quos indicavi superiùs Propositionis I Corollario V, (a) quique Antiochiæ, Syriæ metropolis, fuêre cusi annis XLII, XLIII, XLIV, XLV & XLVII a victoria Actiaca, seu XII, XIII, XIV, XV & XVII æræ vulgaris, quibus jam imperabat Tiberius. Omninò igitur errat Baronius, dum, jam turbato Syriæ Præsidum ordine, inter eos numerare etiam vellet M. Ambivium & Annium Rufum Tiberii Imperio ineunte, quo tempore Syriæ præerat Silanus Creticus.

COROLLARIUM III.

Errat Norisius scribens Varum, nascente Christo, fuisse Syriæ Præsidem.

EMinentissimus Norisius, sine cujus eruditissimis operibus Problema de natali Christi anno solvere forsan mihi non li-

(a) Vide pariter tab. I & VII.

licuisset, in nonnullis tamen erravit, quia ea non eodem ac cætera critico examinavit animo. Sic non sufficienter attendens ad tempus census Judææ, quo Christus natus est, scripsit (522): *hoc scio Quintilium Varum A. V.* 748 (VI ante æram vulgarem) *fuisse Legatum proprætorem Syriæ, ac duobus insuper annis insequentibus..., Quare* (523), *si quo anno mortuus est Herodes Ascalonita, Quintilius Varus Syriam Præses obtinebat, sub eodem pariter Præside Syriæ Christus Dominus natus est; nequit enim ejusdem natalis citrà A. V.* 748 *retrahi, quamvis annus illius certus nondum fuerit demonstratus.*

Nullam eruditissimus Cardinalis suæ assertionis affert rationem, unde minimè infirmat meam Problematis solutionem, quâ patet Christum in lucem prodiisse exeunte anno VIII ante æram vulgarem, seu ineunte anno Romano 747 ab autumno. Si Eminentissimus Norisius benè ponderasset quæ leguntur de secundo censu Augusti in lapide Ancyrano; quæ

(511) Norisius, ut n. 121, tom. II, *de epoch Syromaced.* Differt. III, cap. VII, col. 165.

(523) Id. ibid. col. 165.

quæ ait Tertullianus de censu in Judæa acto a Saturnino; quæ scribuntur in Evangelio de apparitione stellæ; infantiumque cæde, &c. haud dubiè superiora non scripsisset, annumque VIII ante æram vulgarem pro Christi natali assignasset.

COROLLARIUM IV.

Errat Valesius putans in textu Lucæ, ubi de censu agitur, pro Sentio Saturnino *irrepsisse* Quirinii nomen.

HEnricus Valesius, eruditissimorum seculi proximè elapsi unus, ob auctoritatem Tertulliani minùs benè intellectam, putavit corruptum fuisse Divi Lucæ Evangelii locum, ubi de censu legitur: *hæc descriptio facta est a Præside* (meliùs *Procuratore* aut *Censore*) *Syriæ Cyrino*, unde scripsit (524): *ac mihi quidem videtur error in testu Lucæ irrepsisse in Quirinii nomine, & pro Quirinio restituendum esse nomen Sentii Saturnini*; quia nempe colligebat ex Tertullianis verbis mox laudandis *Tertulliani tempore quosdam in Evan-*

(524) Henric. Valesius in Eusebium Cæs. *histor.* lib. I, cap. v.

vangelio Lucæ pro Quirino Saturninum legisse.

Verùm, Tertulliani auctoritas minimè militat contra Evangelii textum; nihilominus quia imaginariâ inter ea contradictione plurimi Viri docti summopere agitantur, rem explanare necesse est, ac contraria e medio tollere.

I. Divus Lucas Evangelista, narrans Christi nativitatem, scripsit (525): *factum est autem in diebus illis, exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus Orbis. Hæc descriptio prima facta est a Præside* (526) *Syriæ Cyrino, & ibant omnes ut profiterentur singuli in suam Civitatem.*

Tertullianus, ipso secundo Ecclesiæ seculo, Christum in carne mortali natum probans adversùs Marcionem, dicentem eum repentinum ac prorsùs ignotum apparuisse, neminemque suâ ætate adhuc esse certum de Christi *tribu* (527), *de populo, de domo, de censu denique Augusti*, provocat ad de-

(525) Lucas, ut n. 61, p. 701.

(526) Hic vox *Præside* æquivocatione laborat, ut mox dicturus sum.

(527) Teste Tertulliano, ut n. 9, *adver. Marcion.* lib. IV, p. 507.

descriptionem sub natalem Christi Domini jussu Augusti factam, in qua Christi genus & parentes apertè designati legebantur, & de censu ait (528): *quem testem fidelissimum Dominicæ nativitatis Romana Archivia custodiunt*. Deinde autem hunc in Judæa peractum scribit a Sentio Saturnino, dicens (529): *sed & census constat actos sub Augusto tunc* (530) *in Judæa per Sentium Saturninum, apud quos genus ejus inquirere potuissent*.

Justinus tandem, Martyr, Tertulliano paulò antiquior, qui ipsos quosdam Christi Discipulos videre potuit, in Apologia ad Imperatorem Antoninum ait Christum natum esse Bethlehemi in Judæa, *quemadmodum* (531) *& ex descriptionibus census acti, quæ sub Quirino primo vestro in Judæa Procuratore sunt confectæ, intelligere potestis*.

Ex dictis Propositione I & superiori Corollario II, omninò patet Sentium Saturninum fuisse, nascente Christo, Syriæ Præsidem,

(528) Tertullianus ibid.

(529) Id. ibid. p. 532.

(530) In laudata editione malè scriptum est *nunc* pro *tunc*.

(531) Justinus *Apolog.* II.

dem, ſeu Auguſti Legatum proprætorem in ea provincia. Id etiam apertè innuit laudatus Tertullianus. Hinc eruditus Valeſius putavit corruptum fuiſſe allatum Divi Lucæ Evangelii locum, & pro *Sentio Saturnino* irrepſiſſe *Cyrini*, ſeu *Quirinii* nomen. Haud dubiè deceptus eſt Calviſius vulgatâ ſacrorum Bibliorum editione, in qua legitur *Præſide Syriæ Cyrino*, qui tunc temporis Syriæ non præfuit. Verùm, ut jam adnotavi, eo loci non legendum eſſet *Præſide Syriæ Cyrino*, ſed *Cenſore* aut *Procuratore Syriæ Cyrino*, ſeu *Quirinio*, ut reverà legit in textu originali laudatus antiquiſſimus Juſtinus, cui incognita fuit vulgata lectio.

Divus Lucas, loco laudato, ad ſignificandum Cyrini, ſeu Quirinii munus utitur voce græcâ *égemoneyontos*. Hæc porrò de quavis poteſtate paulò majore promiſcuè uſurpatur, ſicut *égemonia* Imperium & Principatum quemcumque ſignificat. Ipſe Sanctus Lucas Pilatum vocat *égemona*, licet fuerit tantùm Judææ Procurator; & eidem (532) Tiberii Imperium dicitur *égemonia*. In actis Apo-

(532) Lucas, cap. II.

Apostolorum (533) Procurator Felix *êgemon* etiam appellatur. Josephus (534) Saturninum ac Volumnium vocat *êgemonas*, licet Volumnius esset tantùm Saturnini Legatus aut Procurator in Syria. Hic enim eidem Josepho alibi (535) græcè *Epitropos* dicitur, quo titulo nusquam Syriæ Præsidem proprætorem donavit, quia Procuratorem tantùm significat. *Imperator etiam*, inquit Dio (536), *Epitropoys* (*sic enim ii vocantur, qui publicos reditus colligunt, certasque impensas faciunt*) *in omnes provincias suas ac populi Romani, ex equitibus alios, alios ex libertis mittit*.

Vox quoque latina *Præses* accipitur etiam generaliter pro Deo, Principe aut Magistratu, qui alicui rei præest. Sic Quintiliano Mars dicitur bellorum Præses: *Præside bellorum Deo genitus Romulus*; Livio duces exercituum Præsides appellantur: *Præsides* (537) *provinciarum, exercitûs*; Ciceroni libertatis Præ-

(533) Lucas *act. Apost.* cap. XXIV.

(534) Josephus *antiq.* lib. XVI, cap. 16.

(535) Id. *de bello*, lib. I, cap. 17.

(536) Dio Cass. lib. 53.

(537) Livius lib. 3.

Præſes vocatur Tribunus plebis : *Tribunum plebis* (538), *quem majores Præſidem libertatis, cuſtodemque eſſe voluerunt.*

Hinc in vulgata ſacrorum Bibliorum editione vocem græcam *égemoneyontos* Sancti Lucæ benè omninò latinè interpretati ſunt *Præſide*; ſed quia Syriæ ſummus Magiſtratus tunc Præſidis titulo donabatur, hìc *Præſide* æquivocatione laborat, & primarium Syriæ Magiſtratum indicare videtur, licet *Cenſorem* aut *Procuratorem*, qui cenſui præfuit, tantùm ſignificet. Cyrinus enim, ſeu Quirinius non fuit tunc temporis, ut jam dixi, Præſes proprætor, ſeu ſummus Syriæ Magiſtratus, ſed tantùm Præſes censûs, ſeu Procurator Syriæ, qui in Judæa cenſui præfuit, dum Præſes proprætor Saturninus, cujus nomine cenſum agebat, populos alteriùs tractûs cenſebat, aut res Syriacas ordinabat.

Hinc Sanctus Juſtinus loco laudato, ubi Imperatorem Romanum alloquebatur, non ait: *quemadmodum & ex deſcriptionibus cenſûs acti, quæ ſub Quirino Præſide veſtro ſunt con-*

T *ſe-*

(538) Marc. Tull. Cicero *Orationes*, tom. II, *de lege agr.* Orat. II, p. 103, edit. Pariſ. MDCLXXXIV, in 4.

fecta, *intelligere potestis*, sed, *quæ sub Quirino primo vestro in Judæa Procuratore*. Si enim Præsidem in genere Quirinum appellasset, uti Sanctus Lucas, Imperator haud dubiè intellexisset censum alterum, quem deinde, anno VI æræ vulgaris, in Judæa egit idem Quirinus, seu Quirinius, tùm verè missus Præses, seu primarius Syriæ Magistratus. Quod igitur in versione latina Bibliorum æquivocatione laborat, auctoritate Sancti Justini omninò explanatur; licet ipse Divus Lucas æquivocationem sufficienter sustulerit, dicens eam *primam* fuisse descriptionem, ne scilicet confunderetur posteriori, quam fecit deinde idem Quirinius, ut dicam inferiori Corollario V.

Tertullianus autem, loco laudato, Magistratum magis notum, ac Syriæ primarium indicat, quia sub ejus imperio & ipsius jussu censum in Judæa egerat. Census enim iste actus dici potest ab Augusto qui illum jusserat, a Saturnino sub quo Præside actus est, & a Quirinio qui illum reverà egit. Perperam igitur putavit Valesius laudatum Evangelii locum fuisse corruptum.

II. Cardinalis Baronius, minùs benè putans

tans Tertullianum Divo Lucæ diſſentire, multa excogitavit, ut vanam allati ex illo teſtimonii vim declinaret, exiſtimavitque (539) Sentium Saturninum, a Tertulliano nominatum, non fuiſſe hunc Præſidem Syriæ, ſed alium, qui anno Romano 757 cum Ælio Cato Conſulatum geſſit, quo Conſule poſt luſtrum a nato Chriſto *more Romano cenſus agebatur*. Etenim, inquit Baronius (540), cùm Tertullianus non ſatis exploratum haberet, an Chriſtus natus fuerit abſolutâ deſcriptione alteriùs luſtri proximè elapſi, an verò cum eodem adhuc perageretur, recurrit ad ſubſequens luſtrum, in quo illi conſtabat tum Chriſtum, tum ejuſdem parentes deſcriptos fuiſſe.

Verù m, unde habuit Baronius conditum fuiſſe luſtrum more Romano, aut cenſum actum Romano anno 757, ſeu IV æræ vulgaris? hîc ſibi contradicit. Ex ipſo enim Chriſtus natus eſt anno tertio ante æram vulgarem, ſeu 751 Romano, & cenſus actus eodem anno. Ergò ſi quolibet quinquennio tunc

(539) Baronius, ut n. 44, p. 43.
(540) Id. ibid.

tunc fiebant & census & lustrum, iterùm facta sunt anno 756, non verò 757.

III. Sed, præter hanc contradictionem, falsum supponit Baronius, singulis nempe lustris in Judæa censum fuisse peractum. Census enim peragebatur in solis provinciis Romanis, non verò in regnis amicis & sociis, quale tunc erat regnum Judæorum. Id patet ex iis quæ narrat Tacitus de Cappadocia. Anno enim Romano 770, Romæ mortuo Archelao, quem Antonius & deinde Augustus Regem Cappadociæ, uti Herodem Judææ impòsuerant, ac Cappadociâ in provinciæ formam redactâ, Calitæ, hujus novæ provinciæ populi, censum deferre jussi, rebellarunt. *Per id tempus*, inquit Tacitus (541), *Clitarum natio Cappadociæ, Archelao subjecta, quia nostrum in modum deferre census, pati tributa adigebatur, in juga Tauri móntis abscessit*. Inde namque patet gentem illam in Romanorum modum censum non detulisse, Archelao regnante.

In Judæa pariter, cùm anno Romano 759, seu VI æræ vulgaris, in exilium pulso Arche-

(541) Tacitus, ut n. 505, *annal.* lib. VI, p. 160.

chelao, regio provinciis Romanis addita fuiſſet, Quiriniuſque Syriæ Præſes cenſum in ea perageret, *Judas Gaulanites*, teſte Joſepho (542), *ſolicitabat ad defectionem populos, cenſum nihil aliud quàm manifeſtam ſervitutis profeſſionem eſſe dictitans, & univerſam gentem ad tuendam libertatem adhortans.* Idem innuit Divus Lucas (543), dicens: *poſt hunc exſtitit Judas Galilæus in diebus profeſſionis, & avertit populum poſt ſe, & ipſe periit, & omnes quotquot conſenſerunt ei, diſperſi ſunt.* Non igitur Judæi anteà deferebant cenſum in Romanorum modum, ita ut ſcilicet poſt cenſum ſinguli ſecundum proprias facultates tributum ſolvere tenerentur.

Quod ſi Judæi, cæterique populi, Romanorum amici & ſocii, cenſum pacificè profeſſi ſunt naſcente Chriſto, anno VIII ante æram vulgarem, id factum eſt, quia deſcriptionem illam univerſalem habuerunt ut ſimplicem meramque Auguſti curioſitatem, cui libenter ſatisfacere voluerunt, ut potè quæ nemini nocua erat ac parùm moleſta.

T 3 Cùm

(542) Joſephus, ut n. 67, lib. XVIII, cap. I, p. 518.

(543) Lucas, ut n. 61, *Act. Apoſt.* cap. V, p. 743.

Cùm enim eo anno VIII ante æram vulgarem, pax toto Romano Imperio floreret, Auguſtus, omnes Imperii opes & copias cognoſcendi cupidus, decrevit, abſque propoſito in præſens exigendæ pecuniæ, univerſorum qui vel ſubditi, vel ſocii eſſent populi Romani, numerum ac facultates percenſere. Hinc Lucæ, loco laudato, cenſus iſte dicitur *deſcriptio univerſi Orbis*, nempe Romani. Ex hac deſcriptione Auguſtus poſteà breviarium confecit, in quo, ut ait Tacitus (544), *opes publicæ continebantur; quantum Civium, ſociorumque in armis; quot claſſes, regna, provinciæ, tributa, & vectigalia & neceſſitates, ac legiones, quæ cuncta ſua manu perſcripſerat Auguſtus.*

Præter Evangelii teſtimonium, vetus lapis Ancyranus, ſuperiori Propoſitione IV laudatus, in quo haud dubiè continetur exemplar breviarii illius, de quo loquitur Tacitus, ſufficienter nos docet cenſum illum univerſalem, ex quo breviarium ſuum confecit Auguſtus, fuiſſe eum qui actus eſt naſcente Chriſto, anno VIII ante æram vulgarem, ſeu

(544) Tacitus, ut n. 505, *Annal.* lib. I, p. 12.

ſeu Romano 746, Conſulibus Marcio Cenſorino & Aſinio Gallo. Ibi enim legitur cenſum illum actum fuiſſe ab Auguſto *ſolo* ſine Collega, ut nempe Reges amici & ſocii, populique Autonomi non contradicerent; duos verò alios actos quidem ab eodem Auguſto, ſed cum Collega. Hinc in Evangelio dicitur: *exiit edictum a Cæſare Auguſto*, non autem a Cenſoribus, quia nempe cenſus ille actus eſt a ſolo Auguſto. Hæc concordia Evangelii cum lapide Ancyrano in re tam ſingulari, omninò evincit cenſum illum, quo natus eſt Chriſtus, fuiſſe illum, qui peractus eſt anno VIII ante æram vulgarem.

IV. Errat etiam Baronius (545), ſcribens de deſcriptione a Cyrino, ſeu Quirinio factâ: *quod primam dixit, nemo prudens intelliget, tunc primùm cenſitos fuiſſe Judæos atque redactos ſub tributo, factoſque populo Romano vectigales. Siquidem longè anteà, ſub Conſulatu Ciceronis & Antonii, Pompeius eos domuit, & tributum ab eis exegit.* Hic enim vir Eminentiſſimus duo hæc *deferre cenſum*

T 4 ac

(545) Baronius, ut n. 44, p. 41.

ac *tributum ſolvere*, pro eodem accepit, licet omninò diverſa ſint, ut patet exemplo Galliarum. Eas namque poſtquam Julius Cæſar ſubegit, inquit Dio (546), *ſingulis menſibus tributum erat Gallis pendendum*; eæ tamen non niſi diu poſteà cenſum deferre coactæ ſunt ab Auguſto Imperatore, anno nempe Romano 742, quandò Druſus in Germanos movit, ut teſtis nobis eſt Imperator Claudius in oratione de Civitate Romana Gallis danda, quæ quondam in æs inciſa fuit, & in qua (547) de Gallis ſic loquitur Claudius: ILLI . PATRI . MEO . DRVSO . GERMANIAM . SVBIGENTI . TVTAM . QVIETE . SVA . SECVRAMQVE . A . TERGO . PACEM . PRAESTITERVNT. ET. QVIDEM . CVM . AD . CENSVS . NOVO . TVM . OPERE . ET. INADSVETO. GALLIIS . AD . BELLVM . AVOCATVS . ESSET. QVOD. OPVS . QVAM . ARDVVM . SIT . NOBIS . NVNC . CVM . MAXIME . QVAMVIS . NIHIL . VLTRA . QVAM . VT. PVBLICAE . NOTAE . SINT . FACVLTATES . NOSTRAE . EXQVIRATVR.

(546) Dio, ut n. 100, lib. LIV; p. 328.
(547) Apud Gruterum, ut n. 161, p. DXI.

TVR. NIMIS. MAGNO. EXPERIMENTO. COGNOSCIMVS. Galli igitur diu tributum solverunt antequam censum perferrent. Cur ergò idem dici nequiret de Judæis, præsertim quandò propriis Regibus erant subjecti?

Reverà quidem de Judæa subdit Baronius (548): *nec licet ea provincia a Romanis Herodi ac ceteris Regibus concessa esset, desiit tamen aliquando tributum solvere: quod ex Evangelio etiam testatum habemus, cujus auctoritate compertum est eosdem Judæos, tempore Herodis Regis, Romano imperio censum persolvisse.*

Verùm hallucinatur vir doctissimus. Equidem Judæi Christum interrogantes, aiunt apud Matthæum (549): *quid tibi videtur, licet dare censum Cæsari, an non?* & apud Lucam (550): *licet nobis tributum dare Cæsari, an non?* ubi certè tributum idem ac census significat. At Judæa tunc temporis non erat Regnum, sed Romana provincia per

(548) Baronius, ut n. 44, p. 42.

(549) Matthæus, ut n. 58, cap. XXII, p. 680.

(550) Lucas, ut n. 61, cap. XX, p. 718.

per magiſtratus Romanos adminiſtrata, quam tunc Pontius Pilatus procurabat, ut patet ex ipſo Evangelio. Herodes Antipas enim, de quo fit mentio apud Evangeliſtas ſub ultimis Chriſti annis, non erat Rex Judæorum, ſed tantùm Tetrarcha Galilææ, ut nos docet ipſe Sanctus Lucas (551). Nullum igitur dubium quin Judæa, ut pote id temporis Romanis ſubjecta, eis cenſum daret; ſed naſcente Chriſto eadem regio erat Regnum amicum tantum populi Romani, proindeque alio modo quàm Romano regebatur. Non igitur alterum cenſum, quinquennio poſt Chriſti nativitatem actum, indicare potuit Tertullianus.

V. Cardinalis autem Noriſius, ut oſtenderet Tertullianum contrarium non eſſe Sancto Lucæ, ſcribit probabilem eſſe doctorum virorum ſententiam, qui dicunt Quirinium, ſeu Cyrinum, cum imperio extraordinario ad cenſum peragendum in Syriam miſſum. *Nam*, inquit Noriſius (552), *cùm eo anno pax*

(551) Id. ibid. cap. III, p. 702 & cap. XXIII, p. 720.
(552) Noriſius, ut n. 121, Diſſert II, cap. XVI, §. XII, col. 508.

pax toto Romano imperio floreret, Augustus decrevit universorum, qui vel subditi vel socii essent populi Romani, numerum ac facultates noscere... cùm verò Quirinius vir Consularis id temporis in Oriente degeret, ac bellum contra Homonadenses feliciter confecisset, eumdem in Syriam cum extraordinario imperio misit, ut tùm ibidem, tùm in Judæa, quæ gens erat socia & amica populi Romani, censum peragetet. Quamvis verò eo anno Sentius Saturninus Syriam administraret, Quirinius ob recentem (553) victoriam totâ Asiâ celebratus, descriptioni faciendæ præpositus fuit. Tacitus lib. 1. Annal. A. V. 767: Regimen, *inquit*, summæ rei penès Germanicum, agendo Galliarum censui, tùm intentum. *Et posteà anno Urbis 769, sub initium libri 2, de eodem Germanico ait:* igitur hùc intendit, missis ad census Galliarum P. Vitellio & Cantio. *At Germanicus id temporis non erat Legatus ordinarius Galliæ, sed summo cum imperio ad census in Gallia accipiendos ab Augusto destinatus. Ita etiam Romæ census non a Consulibus, neque a Prætoribus,*

(553) Id. ibid. col. 509.

bus, qui erant ordinarii Magistratus, sed a duobus Consularibus uni eidemque tantùm muneri destinatis, agebatur. Quod verò Sentius Saturninus tunc Syriam obtinebat, Tertullianus ordinarium Magistratum nominavit; qui tamen eâ in re exequendâ, Quirinio erat subordinatus.

Hanc sententiam jam anteà amplexus fuerat Casaubonus (554); verùm admittenda non est, quia Tertullianus, loco citato, ait censum illum in Judæa fuisse actum *per Sentium Saturninum*. Si enim Quirinius in Syriam missus fuisset extraordinarius Magistratus ad censum peragendum, illum egisset independenter a Saturnino, proindeque census ille minimè dici potuisset actus per Sentium Saturninum; quemadmodum Romæ census non dicebantur acti per Consules, aut a Consulibus, sed a Censoribus ad id destinatis.

Quod autem Quirinius, seu Quirinus, hunc non egerit censum extraordinario imperio, sed delegatâ tantùm a Saturnino potestate & ejusdem jussu, sufficienter patet ex hac in-

(554) Casaubonus, ut n. 490, num. xxviii, p. 132.

inscriptione antiqua, Venetiis asservata (*a*):

Q. AEMILIVS Q. F.
PAL. SECVNDVS
CASTRIS . DIVI . AVG.
P. SVLPITIO . QVIRINO . LEG
CAESARIS . SYRIAE . HONORI
BVS DECORATUS . PRAEFECT
COHORT. AVG. I. PRAEFECT
COHORT. II. CLASSICAE . IDEM
JVSSV . QVIRINI . CENSVM . FEC.
APAMENAE . CIVITATIS . MIL
LIVM . HOMIN. CIVIVM . CXVII
IDEM . IVSSV . QVIRINI . ADVERSVS
ITVREOS . IN . LIBANO . MONTE
CASTELLVM . EORVM . CEPIT . ET . ANTE
MILITIAM . PRAEFECIT . FABRVM
DELALVS . A . DVOBVS . COS. AD . AE
RARIVM . ET . IN . COLONIA
QVAESTOR . AEDILIS . II. DVVMVIR . II.
PONTIFEX
IBI . POSITI . SVNT . Q. AEMILIVS . Q. F. PAL
SECVNDVS . F. ET . AEMILIA . CHIA . LIB.
H. M. AMPLIVS . H. N. S.

Cùm

(*a*) In Ædibus nempe N. V. Nicolai Venerii, teste Sertorio Ursato apud a Van der Mieden Alemarian. *Disp. crit. ad marm. vet.* edit. inter *Symbol. litt. opusc. var.* Decad. II, vol. IX, pag. 38 & 39, Romæ MDCCLIV.

Cùm enim eâ in epigraphe Quintus Æmilius dicatur censum fecisse Apamenæ Civitatis jussu Publii Sulpitii Quirini, Legati Cæsaris Syriæ, anno scilicet VI æræ vulgaris, omninò patet census in Syria non fuisse actos ab extraordinariis Magistratibus, sed ab ipso Syriæ Præside, qui per Procuratorem & Legatos suos censebat varios Syriæ tractus. Rectè igitur scripsit Tertullianus censum, de quo agitur, fuisse actum à Saturnino, tunc temporis Syriæ Præside, cujus jussu eumdem in Judæa fecit Quirinius Procurator. Id certò certiùs fassus esset doctissimus Norisius, si ipsi nota fuisset allata inscriptio.

VI. Joannes Georgius Herwartus (555), seculo XVII Bavariæ Cancellarius, auctor fuit laudata verba Evangelii vulgatæ editionis: *hæc descriptio prima facta est a Præside Syriæ Cyrino*, græca Divi Lucæ non exprimere; quia, inquit, vox græca *prôtê* apud Divum Lucam, non *primam*, sed *priorem* descriptionem significat: unde textum Lucæ sic interpretatur: *hæc descriptio prior facta*, *quam illa*

(555) Joan. Georg. Hervvartus *Chronol.* cap. CCXLI.

illa Præsidis Syriæ Cyrini, vel *hæc descriptio facta priusquam esset Præses Syriæ Cyrinus*. Ratio ipsi est quia nomen positivum *prôtos* pro comparativo *proteros* non raro a Græcis usurpatur, apud quos sæpè desideratur *mallon*, uti apud Latinos *magis*; quod plurimis exemplis probare tentavit.

Verùm ejus conatus jam refutavit eruditus Casaubonus (556), qui ostendit neminem ferre posse græcam Evangelistæ orationem, si in ea *mallon* suppleretur, licet aliis in locis suppleri possit.

Herwarti tamen sententiam amplexi sunt Keplerus, Henschenius ac Papebrochius (557). Immò Eminentissimus Norisius (558), qui eam nec probat, nec improbat, subdit: *quæ quidem interpretatio, si novitatem excipias, eas difficultates emollit, e quibus viri eru-*

(556) Casaubonus, ut n. 490, num. XXXII, p. 129.

(557) Geodefr. Henschenius & Daniel Papebrochius *acta Sanct. Aprilis* tom. I, diatrib. prælim. exerc. II, p. VII, edit. Antuerpiæ MDCLXXV, in fol. hanc sententiam non quidem omninò amplectuntur, sed eam plurimi facere videntur.

(558) Norisius, ut n. 121, Dissert. II, cap. XVI, §. XII, col. 511.

eruditi cùm ſe expedire non poſſent, de administratione Syriaca Quirinii pleraque non modo ſine teſte ac tabulis, verùm etiam adverſùs veteris hiſtoriæ fidem in litteras miſére.

At non ſufficit ſi ſententia hæc difficultates Chronologicas, quas ſibi finxerunt quidam eruditi, emolliat; neceſſe etiam eſſet ut ſalvam relinqueret auctoritatem Divi Juſtini, qui ipſe Palæſtinus, & quidem antiquiſſimus, ut pote ejuſdem ac Evangeliſtæ ſeculi, Imperatorem de Chriſti nativitate Bethlehemi ſic alloquitur (559): *quemadmodum & ex deſcriptionibus cenſûs acti, quæ ſub Quirino primo veſtro in Judæa Procuratore ſunt confectæ, intelligere poteſtis*. Hîc enim Juſtinus certè non loquitur de cenſu acto ante Quirinii, ſeu Cyrini præfecturam. Non eſt igitur admittenda Herwarti interpretatio, nec eâ indigemus ad oſtendendam Divi Lucæ, Juſtini & Tertulliani concordiam, ut patet ex ſuperiùs dictis.

CO-

(559) Juſtinus *Apolog.* II.

COROLLARIUM V.

Errat Eusebius confundens duos census, actos in Judaea a Quirinio.

EUsebius, celeberrimus IV seculo Episcopus Caesariensis in Palaestina, quamquam eruditissimus Chronologus, censum, quo natus est Christus, cum eo, quem post Archelai exilium egit Quirinius, minùs benè confundit, scribens: (560): *secundus igitur & quadragesimus Regni Augusti agebatur annus, octavus autem & vigesimus ab Aegypto subjugata, & Antonii Cleopatraeque morte ... cum servator & Dominus noster Jesus Christus sub primo censu Cyrenii, id temporis Praefecti Syriae, congruenter secundùm Prophetarum vaticinationes de illo editas, in Bethleem Judaeae natus est. Hunc quidem censum Cyrenii temporibus factum, Flavius Josephus, historicorum qui sunt apud Hebraeos facilè princeps, memoriae prodidit. Aliam etiam historiam de Galilaeorum secta, quae iisdem temporibus exorta est, adnectit, de qua item Lucas apud nos in actis ita ferè verba facit: post*

V *hunc*

(560) Eusebius Caes. ut n. 22, p. 9.

hunc surrexit Judas Galilæus in diebus census, & avertit multum populum post se: & ille periit, omnesque quotquot consenserunt ei, dispersi sunt. Quod item narrat Josephus in suis antiquitatibus.

At mirum sane eruditissimum Episcopum non observasse censum, de quo Josephus, omninò esse diversum ab eo, qui in Judæa actus est nascente Christo. Iste enim, ex Evangelio, peractus fuit ante mortem Herodis Magni; illum verò, de quo loquitur Josephus, non tantùm post ejusdem Herodis obitum egit Quirinius, sed etiam post exilium Archelai ejus successoris, anno decimo ab Herodis morte: *decimo autem*, ait Josephus (561), *Principatûs Archelai anno... Cæsar... misit eum Viennam in exilium, quæ est urbs Galliæ, mulctatum priùs omni pecuniâ... caterùm* (562) *ditione Archelai contributâ Syriæ, missus est illò a Cæsare vir Consularis Quirinius, qui censum ageret per Syriam, & ipsius Archelai domum venderet... quin & ipse* (563) *Quirinius in Ju-*

(561) Josephus, ut n. 67, lib. XVII, cap. XV, p. 516.

(562) Id. ibid. p. 517.

(563) Id. ibid. lib. XVIII, cap. I, p. 517.

Judæam venit jam attributam provinciæ Syriæ, ut percenseret facultates Civium, & Archelai pecunias in potestatem suam redigeret. Hic igitur Quirinii census, anno decimo post Herodis Magni mortem actus, idem esse non potest ac ille, qui, nascente Christo, peractus est vivente adhuc eodem Herode, teste ipsomet Evangelio.

Sed quæ subdit Josephus (564): *Quirinius autem venditis & confiscatis Archelai facultatibus, peractoque censu, qui incidit in annum trigesimum septimum post victum a Cæsare in Actiaca pugna Antonium*, omninò manifestant Eusebii errorem. Ex eo enim census Christi nativitatis actus est anno vigesimo octavo ab Antonii & Cleopatræ morte (in quo tamen etiam errat), seu vigesimo nono a victoria Actiaca; e contra verò census, de quo Josephus post Archelai exilium, peractus est anno trigesimo septimo ab eadem Actiaca pugna. Diversi sunt igitur illi census, malèque ab Eusebio confunduntur.

Horum censuum discrimen ostendere pari-

(564) Id. ibid. cap. III, p. 519.

riter videtur Evangelista laudatus, scribens de priori: *hæc descriptio prima facta est a Præside Syriæ Cyrino*. Licet enim vox *prima* indicare possit primum censum in Judæa actum, vulgò tamen, uti apud Pagium (565), Norisium & alios, intelligitur de priori censu in Judæa peracto a Cyrino, seu Quirinio, qui posteà anno sexto æræ vulgaris Præses proprætor in Syriam veniens censum iterùm egit, tùm primùm Judæâ in provinciæ formam redactâ. Hic posterior, ut patet ex Josepho (566), unius tantùm provinciæ census fuit; prior verò, teste Evangelio, fuit universalis; proindeque alter cum altero confundi non potest.

COROLLARIUM VI.

Errat Natalis Alexander scribens censum, nascente Christo, in Judæa fuisse a Quirinio cœptum & a Saturnino absolutum.

REV. Pater Natalis Alexander Ordinis Prædicatorum, ac Parisiensis Doctor seculi proximè elapsi, ut auctoritates Divi Lu-

(565) Pagius, ut n. 140, p. 31.
(566) Josephus, ut n. 67, lib. XVII, cap. XV, p. 517.

Lucæ & Tertulliani, allatas superiori Corollario IV, quas minùs benè contrarias putavit, conciliare posset, ait Judææ censum, nascente Christo actum, cœptum fuisse a Cyrino, seu Quirinio, & absolutum a Saturnino. *Igitur*, inquit (567), *missus est ab Augusto in Syriam cum extraordinaria potestate Quirinus, & in alias fortassis Orientis provincias, ad censum peragendum, cùm Saturninus jam Syriæ Præses & ordinarius moderator esset. Sed negotium censûs vix incœptum, statim intermittere coactus est ob turbas Homonadensium, qui tùm adversùs Romanos rebellarunt. Promovit autem atque absolvit Saturninus censum a Quirino inchoatum, cui ad tam arduum faciliùs exequendum munus, ut credere par est, adjuncti sunt a Cæsare Volumnius Procurator & Pedanius Legatus, quorum Josephus meminit lib. 1. de bello Judaico, cap. 17. Porrò Sanctus Lucas descriptionem factam sub tempus natalis Christi, scribit factam a Quirino, quia ab ipso cœpta est. Tertullianus ait ipsam per Saturninum actam,* V 3 *quia*

(567) Natal. Alexander, ut n. 12., cap. XIII. Dissert. II, quæst. I, p. 68.

quia is ipsam promovit & absolvit. Josephus honores Quirini memorans, eam prætermisit, quia statim ab ipso fuit interrupta.

Verùm eruditus Alexander, non veterum auctoritate, sed proprio marte hæc scripsit XVII seculo ex quo fuêre peracta; unde testis nullus. Extraordinarii Quirinii Magistratûs hypothesim jam superiùs confutavi Corollario IV, nec censûs interruptionem probat quod ait de Homonadensium turbis. Quo anno enim Quirinius Homonadenses expugnaverit omninò ignoratur, ut sufficienter patet ex his, quæ eorum occasione scripsit Eminentissimus Norisius (568). Equidem Tacitus (569) de Quirinio dicens: *Consulatum sub Divo Augusto, mox expugnatis per Ciliciam Hemonadensium Castellis, insignia triumphi adeptus*, innuere videtur id factum anno ejus Consulatum insequenti. At, si id admitteret Reverendus Alexander, deciperetur in anno & initii & finis illius censûs assignando. Quirinius enim Consul fuit anno

(568) Norisius, ut num. 121, cap. XVI, §. XII, col. 504 & seqq.

(569) Tacitus, ut n. 505, annal. lib. III, p. 92.

no XII ante æram vulgarem : ex laudato autem antiquo lapide Ancyrano censûs, de quo agitur, actus fuit anno VIII ante eamdem æram ; ergò non nisi post expugnatos Homonadenses censum agere potuisset Quirinius. Nec eum absolvere potuisset Saturninus. Census enim ille absolvi non potuit ante Christi nativitatem, cùm, teste Evangelio, natus fuerit dum peragebatur. Porrò juxta Alexandrum (570) Christus natus est exeunte anno quinto ante æram vulgarem ; & Saturninus, testibus antiquis Vari nummis, superiùs Propositionis I Sectione III descriptis, anno præcedenti successorem habuit in Syria Quinctilium Varum ; ergò juxtà ipsummet Alexandrum nec Quirinius censum incipere, nec Saturninus eum absolvere potuisset ; proindeque ut mera fictio habenda est ejus sententia.

V 4 CO-

(570) Alexander, ut n. 22, cap. xiii, Differt. II, quæst. I, p. 65.

COROLLARIUM VII.

Errant qui putant Christum natum esse die VI Januarii.

ÆGyptii olim, teste Cassiano (571), Christi nativitatem soliti erant celebrare unà cum festo Epiphaniæ, sextâ nempe die Januarii. Mos idem fuit etiam apud Græcos plurimos; unde Sanctus Epiphanius, Salaminis in Cypro Episcopus, eâ die Christum natum existimavit, de eo dicens (572): *cùm enim Januario mense natus esset VIII id. Jan. qui est apud Romanos Januarii dies VI; Ægyptiis verò Tybi XI, Syris, seu Græcis Audinæi VI, Cypriis seu Salaminiis quinti mensis dies V, Paphiis Julii XIV, Arabibus Aleom XXI; Cappadocibus Atartæ XIII; Hebræis* Tebeth XIII, Atheniensibus Mæmacterionis VI, &c.

Verùm Græci & Ægyptii, ac ipse Sanctus Epiphanius morem deinde mutarunt & sententiam, ut pote nullo nixam fundamento,

(571) Joan. Cassianus *collat. Patr.* coll. x, cap. I, p. 364, edit. Romæ MDLXXX, in 8.

(572) Epiphanius, ut n. 19, tom. I, part. I, *hæres. Alogi*. num. XXIV, p. 446.

to, veteremque Ecclesiæ latinæ traditionem amplexi sunt quarto seculo, ut jam adnotavi superiùs Propositionis IV Sectione IV, & ut patet ex epistola (573) Joannis, veteris Archiepiscopi Nicæni, de nativitate Domini ad Zachariam, Catholicum majoris Armeniæ, ubi ita loquitur (574): *quod spectat ad Salvatoris natale, ut celebrandum constituerint XXV Decembris, in hunc modum invenimus. Scripsit aliquando Cyrillus* (Patriarcha Hierosolymitanus) ... *ad Julium Romanum Pontificem, in hæc verba*: magnus est labor, ac hominum paucitas in magnis ac præclaris solemnitatibus, eo quòd eâdem die celebrentur, lectionesque ac officia ambarum celebritatum vix mediâ parte absolvuntur, quòd nequeamus & natale Domini celebrare, & Baptisma nimirùm fieri non potest, ut eâdem die occurramus ad locum Baptismatis: nam Bethleem tribus milliaribus distat abs Hierusalem ad austrum; Jordanis verò distat quindecim ad Orientem. Ju-

(573) Hæc Joannis epistola edita fuit apud Franc. Combefisium *hist. hæref. Monoth.* &c. col. 298 & seqq. Parisiis MDCXLVIII, in fol.

(574) Joan. Nicæn. ibid. col. 302.

Jubeat ergò tua ſanctitas perquiri ſcripta omnia Judæorum, quæ Titus Cæſar ab Hieruſalem prædatus Romam abduxit: fortè inveneris certam diem nativitatis Chriſti ac Dei noſtri.

Acceptâ Julius epiſtolâ, ſubdit Joannes (575), *ſedulò eâ de re quæſivit. Congregans itaque Judæorum ſcripta omnia ſpoliorum loco ablata, ac Romam ducta, invenit Joſephi Chronographi ſcripturam quandam ab eo ſcriptam: ut nimirùm in menſe ſeptimo, in ſolemnitate tabernaculorum, ac die expiationis, apparuerit* (576) *Dei Angelus, Sacerdoſque mutus remanſerit, uſque dum Elizabet ejus uxor in ſenectute concepit.*

Hinc cùm dies expiationis eſſet X menſis Tiſri, ſeu XXIII Septembris noſtri, Joſephi teſtimonium cum Evangelio componens Romanus Pontifex, teſte eodem Joanne (577), invenit ſextum menſem de quo Angelus Beatæ Mariæ Virgini ait: *& hic menſis eſt ſextus illi, quæ vocatur ſterilis:* fuiſſe

(575) Id. ibid.
(576) Apud eumd. ibid. col. 303.
(577) Id. ibid.

fuisse mensem Nisan, cujus IV die, id est, XXV Martii nostri, Angelus conceptionem filii Dei eidem Virgini Mariæ annuntiavit. A quo tempore si numerentur novem menses, partus Deiparæ & Christi Domini natalis incidit in diem XXV Decembris. Hinc Julius, Romanus Patriarcha, inquit Joannes Nicænus, natalem Salvatoris diem universis Ecclesiis XXV Decembris tradidit celebrandum.

Ex laudato auctore (578), Sanctus Basilius scripserat, in libro Moralium, natalem Salvatoris, diem XXV Decembris, mandaveratque Gregorio Theologo in Synodo Constantinopolitana promulgari ac celebrari eodem die. Quidam tamen non assensère. Deinde Honorius Imperator Româ veniens Constantinopolim (579), Matri, fratrique Arcadio, Romanæ Ecclesiæ morem in celebranda nativitate Christi statâ die XXV Decembris commendavit. Res ab iis delata est ad Sanctum Joannem Chrisostomum, qui, ut pote olim sic festum celebrari cupiens, multùm

(578) Id. ibid.

(579) Teste eod. ibid. col. 306.

tùm gavisus eſt. Accerſierunt pariter ex Cypro Beatum Epiphanium, qui Judæus genere, & in monumentis ſuæ gentis verſatiſſimus, ex Hebræorum ſcriptis, ac Joſephi Chronographi hiſtoriâ rem confirmans, Domini natale etiam definivit XXV Decembris. Alii quoque congregati Epiſcopi ſanxerunt eo die celebrandum in regia Urbe, ſcripſeruntque ad Theophilum Patriarcham Alexandrinum, ad Joannem Hieroſolymitanum ac Flavianum Antiochenum, qui ſummo conſenſu, Romanam Eccleſiam ſequuti ſunt. Immò ipſi Hæretici, teſte laudato auctore, per catholicos ſacri natalis ſolemnitatem edocti, eodem die celebrarunt.

Hinc manifeſtum eſt Græcos Chriſti natalis ſolemnitatem ad quartum uſque Eccleſiæ ſeculum celebraſſe quidem die VI Januarii unà cum Epiphania, ſed nullo omninò nixos fundamento, & eâ tantùm ratione, ut videtur, ne feſta nimiùm multiplicarentur. Sed deindè has ſolemnitates dividere cupientes, verum Chriſti natalem diem inquiſierunt, & Joſephi auctoritate convicti ſunt veram & legitimam fuiſſe veterem Romano-Chriſtianorum traditionem de natali Salvato-

toris die celebrando XXV Decembris.

Reverà quidem laudatus Joannes Nicænus (580) credidit Romanam Ecclesiam, uti & Græcam, Julii tantùm ætate Christi natalem XXV Decembris celebrare cœpisse; sed ex dictis Propositionis IV Sectione IV, patet Romanorum traditionem fuisse multò antiquiorem. Hæc tamen ut vera a Græcis habita tantum fuit ætate illius Summi Pontificis, ob inventam nempe Josephi auctoritatem.

COROLLARIUM VIII.

Errat Nauzeus autumans Christum natum esse die XXV Maii.

ERuditus Nauzeus, inscriptionum humaniorumque litterarum Regio-Parisiensis Academiæ socius, Divi Clementis Alexandrini de natali Christi die XXV Maii sententiam, omnium verisimiliorem existimavit (581), quia, ex Evangelio, Pastores nascente Christo *custodiebant vigilias noctis super gregem suum*, & quidem sub dio, ut

(580) Id. ibid. col. 303.

(581) Nauzeus, ut n. 480, p. 149.

ut indicat vox græca *agrayloyntes*, quâ utitur Sanctus Lucas: perspicuum enim est, ait Nauzeus, Pastores exeunte Decembri & rigente hieme cum suis Gregibus sub dio non pernoctasse.

Verùm hæc ratio, quæ non magis innuit Christi nativitatem mense Maio, quam cæteris veris, æstatis & autumni mensibus, minimè militat contra veterem Ecclesiæ Romanæ traditionem & sententiam. Franci enim nostri, ex quo honori est agricolationis studium, experientissimi Agricolæ facti, docent Greges etiam ovium hiemis tempestate, multò meliùs valere sub dio quàm in stabulis, ut passim legitur in eruditorum diariis. Hinc in Anglia, ubi nullus est a Lupis & aliis noxiis animalibus metus, armenta saltem toto anno in agris pernoctant, neque propter frigus aut pluviam aut ventos ulli tecto unquam subeunt, ut asserit Casaubonus (582), testis oculatus. Testatur etiam

(582) Casaubonus, ut n. 490, exercit. II, n. VII, p. 156. Casauboni assertionem sua auctoritate confirmat Gerardus Joannes Vossius, ut n. 50, *Dissert. de temp. nativ. J. C.* part. II, num. XIII, p. 46, scribens:

etiam Langius (583) oves in Dania, patriâ suâ, tota hieme in agris degere, nisi terra ita penitùs nive tecta sit, ut nihil pabuli extra villas habere possint. Quid mirum igitur si in Judæa, longè temperatiori regione, greges in agris pernoctaverint mediâ hieme. Id porrò ita factum patet ex Geneseos libro (584), ubi Patriarcha Jacobus, curans Labani greges de nocturno gelu sic queritur: *die noctuque æstu urebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis*. Hoc enim argumento est in vicina Mesopotamia & apud Judæorum majores, oves & Pastores sub dio sæpiùs egisse hibernis noctibus. Idem innuit Cicero (585) de Pastoribus Phrygis, Arabibus & Cilicibus.

Nec firmius videtur alterum argumentum ex censu petitum, qui hieme commodè agi non potuisset. Nam, ut ait eruditus Alexan-

---

bens: *quod de Anglia ait Casaubonus, id verissimum esse comperimus ... cùm per Angliam de nocte, & ante & post natalem Domini, sæpiùs iter faceremus*.

(583) Langius *de ann. Christ.* lib. II, cap. II, p. 2.

(584) Genes. cap. XXXI, p. 28, edit. apud *Bibl. sacr.* Lugduni MDCXIII, in 8.

(585) Cicero *de divinat.* lib. I.

xander (586), tempus census non aliunde quàm ab Imperatoris voluntate suspensum erat, pro cujus arbitrio nomina erant proferenda Judæis, sive commodo, sive incommodo tempore. Accedit regionem, quam incolebant Judæi, temperatam fuisse, adeòque minùs incommodam itineri faciendo sub tempus hibernum, cùm menses November & December in tractibus multis, etiam Europæis, satis amœni sint & temperati. Præterea cùm Judæa tota exiguis finibus circumscripta fuerit, longinquo itinere non fuit opus, illaque anni tempestas, ut pote libera ab operibus rusticis, genti integræ ad censum satis commoda fuit. Temerè igitur omninò ob allata argumenta vetus Ecclesiæ traditio rejiceretur.

COROLLARIUM IX.

Errat Harduinus scribens Christum natum esse mense Septembri.

CLarissimus Joannes Harduinus, multiplici eruditione admodùm famosus, contendit (587) etiam censum, quo natus est Chri-

(586) Nat. Alexander, ut n. 12, cap. XIII, Dif. II, quæst. I, p. 74.

Christus, peractum fuisse in Judæa mense Septembri, quia tempestas hæc *itineribus eorum qui dare nomina debuere, erat opportunior ... & in mensem Septembrem multò veriùs conveniunt Pastorum vigiliæ super gregem suum, quas Lucas commemorat ... quàm in Decembrem*.

Verùm, quàm parvi momenti sint ejusmodi argumenta, jam ostendi Corollario immediatè superiori; unde nemo ad veterem Ecclesiæ traditionem rejiciendam iis certè moveri potest.

Josephus Scaliger, Chronologus inter æquales celeberrimus, de natali Christi die XXV. Decembris vetustissimam Ecclesiæ traditionem labefactare pariter conatus, eum quoque mense Septembri natum esse vult, idque ex Ephemeriis Sacerdotum, & inter eas octavâ, quæ est Abiæ, colligi ait. Sic enim, sed fusiùs, argumentatur (588): ex antiquissimo Davidis Regis instituto (589) Aaronis posteri omnes in XXIV familias seu

 Ephe-

(587) Joan. Harduinus *Antirrhet. de numm. ant.* p. 65, edit. Paris. MDCLXXXIX. in 4.

(588) Scaliger, ut n. 45, p. 54 & seqq.

(589) Id legitur lib. I *Paralipom.* cap. XXIII;

Ephemerias distributi sunt, quarum XVI ab Eleazaro & VIII ab Ithamaro propagatæ fuerunt. Eæ Sacerdotum familiæ vicem suam rei divinæ operabantur in templo, & singulis Sabbatis novæ succedebant secundùm gradum quem tunc obtinuerunt sorte, quâ prima & princeps exiit Joiaribi, octava verò Abiæ familia. Solemnibus quidem Paschæ, Pentecostes & Scenopegiæ diebus poterant omnes Sacerdotes ministrare, sed præter eas solemnitates nunquam in ministerio alia aliam antevertebat, aut Liturgiæ tempus præripiebat familia, sed singulæ ordine sibi succedebant. Hinc si quis meminisset temporis, quo una ex illis familiis ministrasset ante multos annos, ex dinumeratione orbium, poterat tutò sine indice divinare, cujus familiæ functio esset in templo.

Ordo iste Ephemeriarum in ministrando a Davide Rege ad Judæ Macchabæi ætatem nonnunquam interruptus est, ut cùm a Nabuchodonosoro templum est eversum, & cùm ab Antiocho Rege profanatum; at ex quo Judas illud restituit, ac pristinos cultus instauravit, perpetuò deinceps ad postremum exci-

excidium constantissimè servatus fuit, ita ut nulla solemnibus sacris interpellatio posthàc intervenerit.

Jam Christus anno periodi Julianæ 4711, seu III ante æram vulgarem, in lucem prodiit, ex falsa nempe Scaligeri opinione (590). At verò Zachariæ XIV ante Christum natum mensibus Evangelismus contigit, ut ex historica serie constat. Quippe ex Evangelio (591) statim post functionis sacræ tempus expletum, & oblatum Angeli visum concepit Elizabeth. Sexto post mense Gabriel ad Mariam mittitur, indeque mense nono nascitur Christus. Ab instauratis itaque a Juda ceremoniis ad nunciatum Zachariæ Joannis ortum Ephemeriarum ordo perducendus est. Post triennalem templi contaminationem, ab Antiocho Rege factam, Judas Macchabæus solemnes ritus & sacrificia restituit anno Græcorum CXLVIII, ac die XXV mensis Casleu *obtulerunt* (592) *sacrificium secundum legem*. Hic est annus perio-

(590) Vide inferiùs Corollarium XVII, ubi refellitur hæc opinio.

(591) Lucas *Evangel.* cap. I.

(592) Macchab. lib. I, cap. IV.

di Julianæ 4549, cujus Casleu neomenia incidit in Octobris XXX. Quare Novembris XXIII, feriâ I, fuit mensis Casleu XXV. Verùm a pridie ejus diei, quod Sabbatum erat, prima Ephemeria functionem iniit. Ea verò familia sine dubio Joiaribi fuit. Neque enim aliunde, quàm a prima stationum ordinem inchoavit. Cùm igitur Ephemeriæ XXIV essent, & septenos dies singulæ ministrarent, si quatuor & viginti septies numeres, confient CLXVIII, quibus constituitur orbis hieraticus. Proindè si XXII Novembris iniit familia Joiaribi, quæ ab hâc octava fuit Abiæ familia, cœpit anno periodi Julianæ 4550, Januari X. inde ad Sabbatum XXI Julii anno 4710, qui est IV ante æram vulgarem, fluxerunt anni CLX dies CXCII, qui sunt orbes Hieratici Abiæ 349 præcisè. Ergò XXVIII Julii impleti sunt dies functionis Zachariæ. Quare post XXVIII Julii conceptus est Joannes, & inter XXI & XXVIII Evangelisinus incidit. Elizabeth paulò post id tempus concepit, & V menses sese abdidit, ut testatur Lucas, ac VI mense ineunte Gabriel Mariæ adstitit, circà finem Decembris. Itaque nata-

talis Christi competit circiter finem Septembris, quo tempore sub dio Pastores regere ac pernoctare solent. Ita ferè Scaliger (593) apud Petavium (594).

Verùm, licet Scaliger (595) subjunxerit: *in hoc nullæ sunt conjecturæ vanæ, sed meræ demonstrationes ex ratione temporum, quibus contradici non potest*; vim tamen nullam habet supradicta omnis ejus argumentatio, cùm ex incertis rebus, immò & falsis, tota pendeat. Falsum enim est Christum in lucem prodiisse anno III ante æram vulgarem, ut patet ex inferiori Problematis solutione & Corollario XVII. Porrò orbes Hieratici, ad alium annum deducti, alium certè mensem pro Joannis conceptione, ac proinde pro Christi nativitate, indicarent. Sic eruditus Petavius (596) probavit orbes illos Hieraticos omninò convenire cum veteri Ecclesiæ traditione de Christi natali die XXV Decembris, si nempe Christus natus credatur

(593) Scaliger, ut n. 45, p. 59.
(594) Petavius, ut n. 1, lib. XII. cap. VII, p. 417.
(595) Scaliger, ut n. 45, p. 59.
(596) Petavius, ut n. 1, lib. XII, cap. VII, p. 417.

anno V ante æram vulgarem, ut ipse minus benè credidit.

Sed nihil certi demonstrari potest ex supradicta Ephemeriarum serie. Incertum enim est Judam a Joiaribi familia functionum ordinem inchoasse. Fieri namque potuit, ut pristinam stationum seriem Judas pertexere voluerit, non verò ordinem novum statuere. Præterea cùm, teste Scripturâ (597), Sacerdotes mundos ac sine macula delegerit Judas, qui mundarent sancta, incidere potuit, ut e familia Joiaribi nulli tùm ad manum ejusmodi Sacerdotes essent, qui legali immunditiâ vacarent, unde & aliam quampiam Ephemeriam capere opus habuerit. Minimè igitur ejusmodi argumentis quid certi de Christi natali die statui potest, sed tantùm veteri Ecclesiæ Romanæ traditione.

COROLLARIUM X.

Errat Georgius Syncellus scribens Christum natum esse anno IX æræ vulgaris.

GEorgius, celebris exeuntis VIII seculi Monachus, ac Tarasii Patriarchæ Constantinopolitani quondam Syncellus, existima-

(597) Auctor lib. I *Macchab.* cap. IV, p. 632, apud *Bibl. sacr.* edit. Lugduni MDCXIIII, in 8.

mavit (598) Christum in lucem prodiisse, Romæ Consulibus Sulpicio Camerino & C. Poppæo Sabino, anno scilicet IX æræ vulgaris.

Verùm hæc sententia falsa omninò demonstratur ex dictis Propositione I, quibus evidenter patet Herodem Magnum obiisse anno quarto ante æram vulgarem. Cùm enim Christus, teste Evangelio, natus fuerit ante Herodis mortem, natalis illius annus nonus æræ vulgaris esse non potuit.

COROLLARIUM XI.

Errat Paulus Middelburgensis scribens Christum natum anno XXII ante æram vulgarem.

QUI post Bedam, ait Petavius (599), aliquot ab hinc seculis Chronica scripsêre, damnatâ Dionysii methodo, natalem Domini XXII annis aut XXI anticipandum esse putarunt, & sic ratiocinari solebant: Christus XXV Martii feria VI passus est, & resurrexit Martii XXVII feria I.

(598) Georgius Syncell, ut n. 25, *Chronograph.* p. 315.

(599) Petavius, ut n. 1, lib. XII, cap. IV, p. 407.

Anni in toto cyclo Dionysiano tres omninò characteres illos habent. Nam lunarem cyclum oportet esse XIII, litteram verò Dominicalem B, quod in annis cycli contingit XIII, vel CCLX, vel CCCCL, qui sunt anni æræ vulgaris XII, CCLIX & CCCCXLIX, quia cyclus uno anno eamdem præcedit æram. Quocircà cùm reliqui duo anni nimiùm remoti sint, annum æræ vulgaris XII elegerunt, in quem passionem conferrent, cyclo Lunæ XIII, Solis XXI, littera CB. Hoc igitur anno, inquiebant, includenda est Passio; atque adeò ante XXXIII annos ab eodem anno natalis Christi putandus, ac communis æræ collocandum initium.

Paulus Middelburgensis, seculo XVI Episcopus Forosemproniensis ac Princeps Mathematicorum suæ ætatis, longissima disputatione ac variis argumentationibus eamdem opinionem probare adstruereque conatus est, & commentum usque adeò illi placuit, ut id se per somnium a Sancto Paulo Apostolo didicisse finxerit, dicens (600): *cùm Dominicæ*

(600) Paulus Middelb. *Paulina de rect. Pasch. celebr.* part. II, lib. x, edit. Forosempronii MDXIII, in fol.

nicæ Passionis diem multis ac variis lucubrationibus & methodis indagare conatus essem, ejusque supputationem in manus sæpè numero adduxissem, & per observationes Ptolemæi aliorumque Astrologorum indagare contendissem, cùmque nuper hesterno scilicet vesperi in multam & intempestam noctem jàm propè auroram calculi supputationes produxissem, tandem defatigato animo lectum petii, ubi postquam paulisper requievissem, ecce visus est adesse mihi senex quidam infulatus, staturâ procerus, vultu placidus atque decorus, aspectu ipso & habitu sanctitatis insignia Divique Pauli Apostoli effigiem præ se ferens, qui voce benignâ me compellans & manu a somno excitans, desine, inquit, mi Paule calculo hæc indagare, desine ob hæc noctes insomnes ducere, nisi primùm errata Chronographorum in annis Christi Salvatoris numerandis didiceris. Hæc investigare satage, hæc invenire contende, quoniam in his difficultas indagandi diem quo crucifixus fuit Christus consistit, quandoquidem & temporum Scriptores annos Christi non adamussim quadrarunt. Quæ si invenire desideras, si Chronographorum errata in annis ab Incarnatione Christi numeratis

tis cognoscere gliscis, si Dominicæ Passionis diem quem tantopere quæris invenire optas, respice sursùm, & visa animadverte ac memoriæ commenda, & quæ longo jam temporis tractu calculo perscrutari frustrà conatus fuisti, nunc brevi momento percipies, & oculatâ fide conspicies. Cumque attonitus suspexissem, & in Cœlum oculos intendissem, visus sum videre Cœlum apertum, &c. quâ visione, ut ipse asserit, didicit Christum Martii XXV feriâ VI mortem obiisse, omnesque Chronologos errasse, ut pote qui in annorum serie duos & viginti præteriissent, ac annum duodecimum æræ vulgaris fuisse XXXIV a nativitate Christi. Hanc verò labem temporum, annorumque jacturam inde esse conflatam, quod trium Pontificum Romanorum anni, Cleti nempe, Marci & Marcellini ab Eusebio prætermissi sunt, quorum anni collecti summam illam conficiunt.

Verùm si, uti divino Spiritu afflatus haberi voluit Paulus Middelburgensis, vera, non verò falsa, se a Deo didicisse fingere debuisset. Ejus enim visio omninò indigna est viro Christiano, dignitate præsertim Episcopali insignito, ac religioni Deoque injuriosa,

ſa, ut pote ſacro Evangelio contraria. Si enim Chriſtus crucifixus fuiſſet anno XII æræ vulgaris, obiiſſet anno tertio ante Auguſti mortem, qui, teſtibus omnibus veteribus monumentis, e vivis ſublatus eſt menſe Auguſto anni XIV ejuſdem æræ; porrò id manifeſtè repugnat Evangelio, quo teſte, Chriſtus Dominus nondum a Joanne baptizatus fuerat ineunte XV anno Tiberii, Auguſti ſucceſſoris. Hanc opinionem, fictionemve omiſiſſem certè, ſi eam apud alium quàm apud virum Epiſcopum, ac mathematicarum artium peritiſſimum, legere mihi contigiſſet.

Reverà quidem vir doctiſſimus ſubindè, contemptâ revelatione, ſuam mutavit ſententiam, ſed ut alium errorem amplecteretur, ut dicturus ſum infra Corollario XIII.

COROLLARIUM XII.

Errat Pariſius ſcribens Chriſtum natum eſſe anno XXI ante æram vulgarem.

MAtthæus Pariſius, celeberrimus XIII ſeculi Monachus Anglus e Benedictinorum familia, ſententiam ſuæ ætatis de Chri-

Christi mortis anno sequutus, falsoque argumento, de quo Corollarii immediatè superioris initio, usus, scripsit (601) Dionysium exiguum Christi nativitatem posuisse XXI annis tardiùs quàm debuisset, ac proindè eam totidem annis æram vulgarem præcessisse.

Verùm hæc opinio, cùm non minùs sacro adversetur Evangelio quàm superior Pauli Middelburgensis, e Christiana republica omninò pariter expellenda.

COROLLARIUM XIII.

Errat Paulus Middelburgensis scribens Christum natum esse anno III æræ vulgaris.

MAthematicarum artium peritissimus Paulus Middelburgensis, Forosemproniensis Episcopus, cùm variis argumentationibus, immò & cœlesti visione, ut ipse ait, Christum natum anno XXII ante æram vulgarem probare conatus esset, ut adnotavi superiùs Corollario XI, sibimetipsi subinde contradicens, aut, contemptâ revelatione, sententiam mutans, Dionysium exiguum, non me-

(601) Matthæus Paris. ut n. 41, p. 7.

metachronismo XXII annorum ut anteà, sed biennii prochronismo in assignando natali Christi anno peccasse asserit (602), unde contendit Christum in lucem prodiisse anno III æræ vulgaris.

Verùm si prior ejus opinio rejicienda fuit, quia sacro Evangelio erat contraria, hæc posterior evanescit ex dictis Propositione I. Cùm enim, eodem Evangelio teste, Christus natus fuerit regnante Herode Magno, & hic obierit anno IV ante æram vulgarem, ut ibidem demonstravi; certè Christus anno tertio ejusdem æræ nasci non potuit.

COROLLARIUM XIV.

Errat Dionysius exiguus scribens Christum natum esse anno I æræ vulgaris.

Dionysius Exiguus, Scythiæ Monachus, qui VI Ecclesiæ seculo æram Christiano-vulgarem publicavit, Christum & conceptum & natum tradidit anno primo æræ hujus vulgaris, Consulibus Caio Cæsare & Æmilio Paullo, æramque Incarnationis, non ve-

(602) Paulus Middelb. ut n. 600, lib. XIII, VI præsertim capite.

verò a nativitate adhibuit. Deinde autem eamdem æram dixerunt a Christi natali, unde Christum natum putarunt exeunte anno præcedenti.

Verùm Dionysii sententia, uti & aliorum, omninò falsa demonstratur, ut sæpiùs jam dixi, ex annis obitûs Herodis Magni & censûs, quem, nascente Christo, in Judæa egit Cyrinus, seu Quirinius, quique ex Propositione IV actus est anno VIII ante æram vulgarem, non verò anno primo ejusdem æræ.

COROLLARIUM XV.

Errat Labbeus scribens Christum natum esse anno I ante æram vulgarem.

REV. Pater Labbeus (603), Chronologus celebris, Christi natale confert in annum primum ante æram vulgarem, quòd Ecclesia eumdem elegerit, summique Pontifices in Bullis ac rescriptis hâc dinumeratione utantur.

Verùm recens est hæc Summorum Pontificum consuetudo, ut pote quæ admissa tantùm

(603) Philipp. Labbeus *abregè Chronol.* tom. III, *part. III. de l'introd.* p.558, edit. á Paris MDCLXV, in 12.

tùm fuit feculo decimo quinto, Eugenio IV Pontifice, auctore Blondo Foroliviensi, qui Pontificii Collegii a secretis notarius erat. Anteà enim soli Pontificum anni in litteris adscribebantur.

Prætereà Ecclesia, uti & Summi Pontifices, in ratione temporum sese populari usui accomodant, nec unquam Chronologiam aliquam judicio suo probaverunt. Immò Ecclesia Chronologiam Græcorum sequitur in suo Martyrologio Dominicam nativitatem annuntians, Hebraici verò textûs in vulgata sacrorum Bibliorum editione, licet duæ istæ Chronologiæ de quindecim circiter seculis a se invicem discrepent. Unde patet citrà pietatis & venerationis, quam ergà matrem nostram sanctam Ecclesiam profitemur, dispendio impugnare licere vulgarem Chronologiam, & aliam sectari, quia has quæstiones filiorum suorum disceptationi permittit Ecclesia.

Hinc cùm ex annis obitûs Herodis Magni & censûs in Judæa a Cyrino, seu Quirinio acti, de quibus Propositionibus I & IV, omninò demonstretur Christum natum esse anno VIII ante æram vulgarem, vulgarem sen-

ſententiam uti falſam, penitùſque vitioſam rejicio, nec illud religioni duco.

COROLLARIUM XVI.

Errat Panvinius ſcribens Chriſtum natum eſſe anno II ante æram vulgarem.

ONuphrius Panvinius (604) ex Auguſtinianorum familia, doctiſſimus faſtorum conditor, anno ſecundo ante æram vulgarem, Auguſto XIII & Plautio Silvano Conſulibus, Chriſti nativitatem adſcripſit, & a Kalendis Januariis anni ſequentis æram Chriſtianam auſpicatus eſt.

Verùm hæc ſententia eâdem ratione evaneſcit ac inferior Baronii opinio. Cùm enim ex Evangelio Chriſtus in lucem prodierit ante Herodis Magni obitum; & Herodes, ex Propoſitione I, mortuus fuerit anno IV ante æram vulgarem, manifeſtum eſt Chriſtum natum fuiſſe ante annum ſecundum ante eamdem æram.

CO-

(604) Onuphr. Panvinius *faſti & triumph. Rom.* p. 39, edit. Venetiis MDLVI, in fol.

COROLLARIUM XVII.

Errat Baronius scribens Christum natum esse anno III ante æram vulgarem.

EMinentissimus Cardinalis Baronius (605) natale Christi cum anno tertio ante æram vulgarem copulavit, suamque sententiam plurimorum Sanctorum Patrum probavit auctoritate. Ea enim sententia, ut adnotat eruditus Pagius (606), in Patriarchatu Alexandrino primis Ecclesiæ seculis usurpata, ut liquet ex Julio Africano qui eâ utitur, adhuc ibidem viget. Eam adhibet Eusebius, ut colligitur ex fine libri septimi, ubi ait historiam Ecclesiasticæ successionis a se conscriptam *a Servatoris ortu usque ad Ecclesiarum eversionem quinque ac trecentos annos* complecti, ultimo scilicet termino inclusо. Nam Eusebius annos Incarnationis, sicuti & annos Abrahæ ac Olympiades incipit a mense Octobri cum anno civili, a quo mense anni tertii ante æram vulgarem ad eumdem mensem anni CCCIII ejusdem æræ, quo inchoatur annus primus persequu-

 tio-

(605) Baronius, ut n. 44, p. 46 & seqq.
(606) Pagius, ut n. 140, p. 37.

tionis Diocletianæ, anni CCCV completi numerantur. Ejusdem sententiæ fuisse videntur omnes ii veteres Sancti Patres, qui Christum anno XLII Cæsaris Augusti natum dixere; unde negari non potest quin hæc opinio gravissimos sectatores habuerit.

Verùm omnes hoc unico argumento, cæteris omissis, refellere licet: ex Evangelio sæpiùs laudato, Christus natus est ante Herodis Magni mortem: atqui, ex Propositione I, Herodes obiit anno IV ante æram vulgarem; ergò errant qui Dominum dicunt natum anno tantùm tertio ante eamdem æram.

Nec obstat ratio, quam affert Eminentissimus Baronius (607) ex anno Christi baptismatis, quâ præsertim usi sunt veteres ad annum Christi natalem investigandum. Annus enim baptismatis minimè definitur a Sancto Luca, quem laudant, cùm scripserit (608): *anno autem quinto decimo imperii Tiberii Cæsaris... factum est verbum Domini super Joannem, Zachariæ filium, in deserto; & venit in omnem regionem Jordanis, prædi-*

(607) Baronius, ut n. 44, p. 49.

(608) Lucas, ut n. 61, cap. III, p. 602.

dicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum ... existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne, ne forte ipse esset Christus: respondit Joannes, dicens omnibus: ego quidem aquâ baptizo vos: veniet autem fortior me, cujus non sum dignus solvere corigiam calceamentorum ejus: ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto ... factum est autem cum baptizaretur omnis populus, & Jesu baptizato & orante, apertum est Cœlum, & descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum: & vox de Cœlo facta est: tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi. Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph. vel, ut in græco legitur: *erat Jesus quasi annorum triginta, incipiens*, suum nempe ministerium obire.

Lecto enim eo Evangelii loco, nescimus an Christus baptizatus fuerit anno XV imperii Tiberii, annove insequenti; an tunc fuerit plus minusve annorum triginta; an XV annus ille imperii Tiberii sit imperii proconsularis, imperiive Augustei, &c. Hinc veteres, uti & recentiores, in varias abiêre sententias. Baptismum enim Christi ad an-

num XXVIII æræ vulgaris referunt Sanctus Clemens Alexandrinus (609), Eusebius Cæsariensis (610), Lactantius (611) & Cassiodorus (612). Annum XXIX eidem Baptismo assignat Apollinarius Laodicænus (613); annum verò XXX Julius Africanus (614) & Natalis Alexander (615), ac XXV tantùm Harduinus (616). Nec magis in ætate Christi, ad baptismum accedentis, definiendâ conveniunt. Alii enim XXIX annos Christo assi-

(609) Clemens Alexandr. *Stromat.* lib. I, p. 95, edit. apud *max. Biblioth. Vet. Patr.* tom. III, Lugduni MDCLXXVII, in fol.

(610) Eusebius Cæs. ut n. 22, *Chronic.* ann. Mundi 5228, p. 470.

(611) Lactantius *Institut.* lib. IV, cap. 10.

(612) Cassiodorus, ut n. 31, p. 386. Videtur tamen hic manu aliena addita fuisse quæ ad Christi baptisma & prædicationem spectant.

(613) Apollinarius Laodic. apud Hieronymum, ut n. 17, col. 1114.

(614) Julius Afric. in fragmento quod refert Georgius Syncellus Chronogr.

(615) Natal. Alexander, ut n. 12, cap. XIII, Dissert. II, Quæst. II, p. 75.

(616) Harduinus, ut n. 587, p. 67.

assignant: Origenes (617) verò, Sanctus Hieronymus (618), Divus Epiphanius (619) & Jansenius Gandavensis (620) XXX; Cedrenus (621) & Baronius (622) XXXI; Dekcherius (623), Harduinus (624) & Tirinus (525) XXXII; & tandem Natalis Alexander (626) XXXIV ætatis annos ei tribuit quando a Joanne baptizatus est. Neque etiam conveniunt Chronologi circà imperii Ti-

(617) Origen. *Oper.* Homil. I in Ezechiel. p. XCIX, edit. Venetiis MDXIIII, in fol.

(618) Hieronymus, ut n. 17, *comment. in Ezechiel.* cap. I, col. 699.

(619) Epiphanius, ut n. 19, p. 447.

(620) Cornel. Jansenius Gandav. *comment. in suam concord. Evang.* part. I, part. XIIII, p. 123, edit. Lovanii MDLXXII, in fol.

(621) Cedrenus, ut n. 40, p. 173.

(622) Baronius, ut n. 44, tom. I, ann. Chr. 31, p. 102.

(623) Dekcherius apud Alexandrum.

(624) Harduinus, ut n. 587, p. 66.

(625) Jacob. Tirinus *in S. Script. comment.* tom. I, *Chronic. sacr.* cap. XLVII, p. 59, edit. Antuerpiæ MDCLXXXVIII, in fol.

(626) Nat. Alexander, ut n. 12, cap. XIII, Diss. II, quæst. II, p. 75.

Tiberii annum ab Evangelista assignatum; Nihil igitur omninò ex hoc Evangelii loco concludi potest pro assignando Christi nativitatis anno.

Et reverà quidem, hoc probationis genus vanum & inefficax est ad definiendum aliquem annum. Cùm enim Evangelista scripserit Christum tùm fuisse *quasi annorum triginta*, nihil certò definit quoad annum. Nam modus iste loquendi *quasi annorum triginta*, non magis designat *triginta* quàm *viginti septem* aut *triginta quatuor*: uti cùm apud Joannem (627) recensetur miraculum multiplicationis quinque panum, viri numero *quasi quinque millia* satiati dicuntur; apud Matthæum (628) verò numerantur rotundo numero *quinque millia virorum*, *exceptis mulieribus & parvulis*. Undè certè colligitur eam esse particulæ *quasi*, seu *circiter*, potestatem & notionem, ut numerum præcisè sumptum non indicet, sed numerum paulò minorem aut paulò majorem. Non igitur ad illum Evangelii locum recurrendum erat ad

(627) Ioannes *Evangel.* cap. VI, p. 727, apud *Bibl. sacr.* edit. Lugduni MDCXIIII, in 8.

(628) Matthæus, ut n. 58, cap. XIV, p. 674.

ad assignandum Christi nativitatis annum, sed ad tempus Herodis Magni obitûs, & censûs præsertim in Judæa acti a Cyrino, seu Quirinio, quo natus est Christus.

Eodem errore ac Baronius, capti sunt Josephus Scaliger (629) & Gerardus Vossius (630), Chronologi aliàs celeberrimi, necnon, ut jam adnotavi, ii omnes Sancti Patres Scriptoresque veteres, Epiphanius nempe, Hieronymus, Irenæus, Eusebius Cæsariensis, Tertullianus, Cedrenus, Nicephorus Callixtus, &c. qui anno Cæsaris Augusti XLI aut XLII Christum natum scripserint. Cùm tamen tot viri graves, inter quos etiam antiquissimi, id crediderint, non abs re erit eorum erroris causam perscrutari.

Minimè dubitare mihi licet quin primis Ecclesiæ seculis notus fuerit Christi nativitatis annus, uti & censûs sub quo natus est. Tunc temporis enim & census ille celebris, utpote universalis, monumentis publicis haud

 du-

(629) Scaliger, ut n. 45, p. 59.

(630) Vossius, ut n. 50, p. 35; confessus tamen jam fuerat ibid. num. XVI, p. 11, Christum natum esse *fortasse quidem multò ante*.

dubiè ab Ethnicis fuit expressus, & natalis Christi annus a Christianis annotatus. Verùm cùm id factum fuerit ratione & numerandi modo iis temporibus usitato, aliique deinde, ut suis ætatibus nationibusque servire possent, eum immutare tenerentur, neque id rectè semper facere possent, rem admodùm obscurarunt, infinitisque propemodùm erroribus ansam præbuerunt.

Vidimus (a) Sanctum Epiphanium, Sulpicium Severum, & alios Christi ortum anno Herodis Regni XXXIII rectè scripsisse, quia anni Regni illius, ex quo Rex a Romanis declaratus fuerat, eodem modo ab omnibus omnique ætate numerari debuerunt. Hinc Christi ortus & census, quo natus est, consignati fuerunt anno Herodis XXXIII; sed ut res notior evaderet additus fuit, ut in Syria moris erat, annus XLII Cæsaris seu epochæ Cæsarianæ, quæ initium ducebat ab autumno anni periodi Julianæ 4665, seu Romani 705 exeuntis, ut clarissimis veterum Scriptorum testimoniis, antiquorumque nummorum auctoritate jam demonstravit

(a) Propositione II.

vit præstantissimus Norisius (*b*). Porrò si ab autumno anni 4665 numerentur XLII anni, eorum ultimus iniit autumno anni 4706, seu VIII ante æram vulgarem, quo reverà Christum natum probavi.

Hunc certè annum Cæsaris XLII, autumno cœptum Antiochensium more, aut XLI, Kalendis Januariis more Romanorum incipientem (*c*), indicare voluerunt Sancti Patres; sed quia antiquioribus notum erat Antiochenses Augusti ætate usos fuisse ærâ, nempè Actiacâ, in honorem Cæsaris Augusti, existimarunt *annum Cæsaris XLII* monumentis publicis & scriptis obsignatum in indicando censûs universalis & Christi nativitatis tempore, fuisse annum Cæsaris Augusti imperii a morte Julii Cæsaris: unde recentiores crediderunt Christum natum anno

(*b*) Norisius, ut n. 121, tom. II. *de epoch. Syromaced.* Dissert. III, cap. IV, col. 174 & seqq.

(*c*) Hæc apud eosdem Scriptores unius anni discrepantia, orta est etiam aliquando ex diversa de Christi natali die sententia. Cùm enim alii eum natum existimarent die VI Januarii, alii verò die XXV Decembris, isti annum Augusti XLI scripserunt, alii verò annum XLII, initum nempe ante sex dies.

no tertio vel ſecundo ante æram vulgarem, XLI nempe aut XLII a Julii Cæſaris obitu, in quo omninò errarunt.

Eâdem ratione deceptus Sanctus Clemens Alexandrinus, omnium ferè antiquiſſimus, ſcripſit Chriſtum natum anno XXVIII Auguſti, nempe a morte Antonii & Cleopatræ, Ægyptiorum more, qui annus cum tertio ante æram vulgarem pariter copulatur.

Antiochenſes, jam antiquatis æris Syromacedonicâ, ſeu Seleucidarum, & Pompeianâ, uſi ſunt Cæſarianâ in honorem Julii Cæſaris, initium ducente ab autumno anni XLIX ante æram vulgarem, & Actiacâ in honorem Cæſaris Auguſti, quæ iniit II Septembris anni XXXI ante eamdem æram noſtram. Cæſariana per plura ſecula viguit; Actiaca verò in uſu fuit Auguſti tantùm ætate & ineunte Tiberii imperio, ut jam dixi ſuperiùs (*d*). Nam præter Scriptorum veterum teſtimonia, antiquos Antiochenſium nummos cognoſcimus in honorem Imperatorum Galbæ, Neronis, Claudii & ipſiuſmet

(*d*) Propoſitionis I Coroll. V.

met Tiberii (*e*) cusos, ac æræ Cæsarianæ seu Julianæ annis insignitos.

Æra igitur Cæsariana in usu fuit apud Antiochenses & ante Cæsaris Augusti principatum & post ejus mortem: immò ipso Augusto imperante, utrâque, Cæsarianâ nempe & Actiacâ, utebantur, ut patet ex nummo vetere argenteo, quem æri demandavi (*f*) ex Bellorio & Vaillantio, & in quo cum capite Augusti & Antiochiæ genio observantur elementa ∝ Λ : ΑΥΤ. ΔΝ. id est, anno ab Actiaca pugna *trigesimo sexto*, *Autonomiæ* verò seu Cæsariano *quinquagesimo quarto*. Si enim Actiacæ æræ initio assignato addas 36, Cæsarianæ verò 54, utrinque habebis annum VI æræ vulgaris, seu 759 Romanum, quo cusus fuit nummus.

Non mirum igitur si annus Christi nativitatis & censûs, quo natus est, copulatus fuit a primis Christianis & ipsis Christi Discipulis cum anno XLII æræ Cæsarianæ; sed deinde Sancti Patres, *Cæsaris* nomine decepti, scripserunt Dominicum natale *anno XLII* *Cæ-*

(*e*) Vide tab. 7 nummum cum *Flacci* nomine.
(*f*) Vide tab. 5.

Cæsaris Augusti, pro *anno XLII Cæsaris*, seu Julii Cæsaris. Hinc minimè errarunt in assignando Christi nativitatis anno, sed tantùm in vocis *Cæsaris* significatu. Fatendum tamen, quod in magna antiquitatum studii laude ponendum est, me, ullumque alium mortalem umquam potuisse, sine numismatum veterumque inscriptionum auxilio, nec annum Christi natalem invenire, nec Sanctorum Patrum hâc in re erroris causam patefacere.

COROLLARIUM XVIII.

Errat Sulpicius Severus scribens Christum natum esse Sabino & Rufino Consulibus, seu anno IV ante æram vulgarem.

Sulpicius Severus, historiæ Ecclesiasticæ Scriptor celebris VIII seculo, Christi nativitatem consignavit (631) anno XXXIII Herodis Magni regni, Romæ Consulibus Sabino & Rufino, seu Rufo, VIII Kalendas Januarias; unde vulgò creditur eum existimasse Christum natum fuisse anno IV ante æram vulgarem, quo reverà Consules fuêre Ca-

(631) Sulpicius Sev. ut n. 28, p. 351.

Caius Calvisius Sabinus & Lucius Passienus Rufus.

Verùm, si res ita sit, erravit omninò Sulpicius. Cum enim, ex Axiomate I, Christus in lucem prodierit regnante Herode Magno, & iste obierit ante Pascham anni IV ante æram vulgarem ex Propositionis I Sectione III, manifestum est Christum non fuisse natum ejusdem anni VIII Kalendas Januarias, seu XXV Decembris.

Cùm tamen Sulpicius (632) Christi nativitatem pariter adscripserit anno XXXIII regni Herodis Magni, & hic annus fuerit VIII ante æram vulgarem, quo reverà Christus natus est ex inferiori Problematis solutione, libentiùs credo eum rectè assignasse natalem Christi annum, & errasse tantùm in illo componendo cum Consulatu Sabini & Rufi, qui non nisi anno IV ante æram vulgarem Consules fuêre.

CO-

(632) Id. ibid.

COROLLARIUM XIX.

Errat Vaillantius scribens Christum natum esse anno V ante æram vulgarem.

JOannes Vaillantius, omnium seculi proximè elapsi numismatologorum celeberrimus, ut probet Christum natum esse anno 749 æræ Romanæ, seu V ante æram vulgarem, sic ratiocinatur:

Christus natus est (633) *ante mortem Herodis*, quod verum est ex superiori Axiomate I:

Atqui Herodes (634), *testibus nummis antiquis & Josepho, mortuus est anno* 750 *Romano*, seu IV ante æram vulgarem; quod pariter verum est ex superiori Propositione I:

Ergò Christus nasci debuit (635) *anno antecedente* 749 *Romano exeunte*, seu V ante æram vulgarem; *cùm* (636) *nos doceat Ecclesia eum natum esse die XXV mensis Decembris*, con-

(633) Vaillantius, ut n. I, p. 187.
(634) Id. ibid. p. 195.
(635) Id. ibid.
(636) Id. ibid.

constetque Herodem obiisse (637) *mense Martio anni* 750 *Romani*.

Verùm nemo non videt hanc consequentiam malè omninò deductam esse ex præmissis. Ex iis enim concluditur Christum natum esse ante Herodis mortem, non verò aliquot mensibus ante eamdem mortem. Si dixerim:

Christus, Evangelio teste, natus est ante mortem Herodis:

Atqui Herodes mortuus est anno IV ante æram vulgarem:

Ergò Christus jam natus erat anno IV ante æram vulgarem,

Rectè argumentatus sum, quia consequentia ex præmissis naturaliter deducitur. Sed si dixerim, uti Vaillantius:

Christus, Evangelio teste, natus est ante mortem Herodis:

Atqui Herodes mortuus est anno IV ante æram vulgarem:

Ergò Christus natus est anno V ante æram vulgarem,

Re-

(637) Id. ibid. p. 203.

Rectè sanè non argumentor, quia plurimis annis ante Herodis obitum nasci potuit Christus. Isto enim syllogismo non magis probatur Christi nativitas anno V ante æram vulgarem, quàm illam probarem anno XIII ejusdem æræ sequenti ratiocinio:

Christus, Evangelio teste, natus est ante mortem Augusti:

Atqui Augustus mortuus est anno XIV æræ vulgaris:

Ergò Christus natus est anno antecedente, seu XIII æræ vulgaris.

In utroque argumento eædem sunt præmissæ, sed in utroque malè deducitur consequentia, ac consequenter nihil probat.

Herodis Magni obitus non est præcipuus anni nativitatis Christi character, sed descriptio universi orbis Romani, facta edicto Cæsaris Augusti. Hinc non annus tantùm Herodis mortis erat inquirendus, sed annus etiam illius census, qui anno IV ante obitum Herodis actus est, ex superiori Propositione IV. Certum est igitur erraffe Vaillantium in assignando Christi nativitatis anno.

Cum eo tamen pariter errarunt celeberri-

mi

mi Chronologi Petavius (638), Usserius (639), Eminentissimus Norisius (640), Mediobarbus (641), Gravesonius (642), Tillemontius (643), Barreus (644) & Natalis Alexander (645). Hic in facultate Parisiensi Doctor e Prædicatorum familia, eodem ferè modo ac Vaillantius, ratiocinatur, scribens (646): Christi natalis mortem Hero-

Z dis

(638) Petavius, ut n. I, lib. XII, cap. VII, p 417.

(639) Usserius, ut n. 171, ann. periodi Jul. 4709, p. 600.

(640) Norisius, ut n. 121, cap. V, col. 208, ubi scripsit: *igitur Christus Dominus natus est die 25 Decembris A. V. 749, Augusto* XII, *L. Cornelio Sylla Cos. anno verò Juliano exeunte* XXXXI, *Olympiadis* 193 *anno* IV.

(641) Mediobarbus apud Stampam.

(642) Gravesonius, ut n. 421, Differt. VI, p. 126.

(643) Tillemontius, *memoir. Ecclef.* tom. I, not. IV *sur J. C.* p. 446, edit. à Paris MDCXCIII, in 4. ibidem tamen fatetur vir eruditus se epochæ illi non sufficienter studuisse ad illam pertractandam.

(644) Barreus *Differt. sur les an. de* J. C. edit. apud *hist. de l'Acad. Roy. des inscrip.* tom. V, p. 160, à Amsterdam MDCCXLI, in 12.

(645) Nat. Alexander, ut n. 12, p. 65.

(646) Id. ibid. p. 66.

dis anno fermè integro antevertit : atqui Herodes mortuus est anno IV ante æram vulgarem : ergò Christus natus est anno V ante eamdem æram. Major constat, inquit, ex Scriptura sacra, quæ testatur Christum natum *in diebus Herodis Regis*, & infantium cædem post natale Christi aliquanto tempore perpetratam. Siquidem non ante ipsam aggressus est Herodes, quàm Magi ad Christi præsepium, stellâ duce, pervenissent; quàmque sat temporis elapsum esset, ut se ab illis delusum agnosceret. Cùm igitur hæc anno ipso fatali Herodis contigerint, nec dierum quinque intervallo potuerint peragi; hinc evidenter colligitur plures quàm quinque dies inter mortem Herodis, & Christi nativitatem intercessisse, adeòque Christus natus non est anno XLII Juliano, seu IV ante æram vulgarem exeunte. Cùm igitur Christum mense Decembri, & XXV hujus mensis die natum ex traditione constet, sequitur illum anno integro fermè ante mortem Herodis natum. Hæc Alexander.

Verùm, falsum est omninò majorem ejus argumenti constare ex Scriptura sacra. Ex ea quidem constat Christum natum esse ante mor-

mortem Herodis, non verò eum natum anno tantùm ante illius mortem; immò contrarium nos docet, ut jam adnotavi, cùm census, sub quo, ipsâ teste, natus est Christus, actus fuerit anno ferè IV ante Herodis obitum. Hic est verus character anni nativitatis Domini.

COROLLARIUM XX.

Errat Pagius scribens Christum natum esse anno VI ante æram vulgarem.

REV. Pater Antonius Pagius, Scriptor celeberrimus e Minorum Conventualium familia, descriptis veteribus Quinctilii Vari nummis, de quibus suprà Propositionis I Sectione III, quibusque demonstratur Varum Syriæ præfuisse annis VI, V & IV ante æram vulgarem, autumat Christum natum anno VI ante eamdem æram, & subjungit (647): *quare secus ac hactenùs creditum, Quinctilius Varus currenti anno* (VI ante æram vulgarem), *quo Antiochenus XXV adhuc in cursu erat, in Syriam Sentio Saturni-*

(647) Pagius, ut n. 140, p. 34.

nno successurus missus est. Ratio autem cur anno præterito, quo annus ille XXV Antiochenus cœpit, missus non videatur, desumitur ex Tertulliano nuper laudato, qui tradit, nascente Christo, censum a Saturnino in Judæa factum fuisse, scilicet cum Quirinio a Sancto Luca memorato, ut num. CXX explicavi. Si enim verum est quod Tertullianus scribit, Saturninum scilicet, censum in Judæa egisse, Quinctilii Vari ejus successoris initium ab hoc anno removeri non potest, nec Christi Salvatoris nostri nativitas ulteriùs differri.

Verùm, si ob nummorum illorum & Tertulliani auctoritatem, Christi nativitas ultrà annum VI ante æram vulgarem differri non potest, indè minimè sequitur eam annum illum præcedere non potuisse. Ex iis enim patet tantùm Christum natum Saturnino censum in Syria agente; sed insuper inquirendum est quo anno Saturninus censum illum peregerit. Hic porrò annus fuit VIII, non verò VI ante æram vulgarem, ut probavi superiùs Propositionis IV Sectione I ex celeberrimo lapide Ancyrano. Anno igitur VIII, non verò VI natus Christus dicendus est.

Præterea adnotare licet ex Pagii ratiocinio

nio minùs probari Christum natum esse anno VI ante æram vulgarem, quàm anno præcedenti. Cùm enim in lucem prodierit die XXV Decembris, & Varus in Syriam venerit anno VI ante æram vulgarem, & quidem ante Septembrem, quo exiit annus Actiacus seu Antiochenus XXV, iniitque annus XXVI, Christum natum esse adminùs anno VII ante æram vulgarem necesse est, ut sub Præside Saturnino natus dici possit. In re igitur & in calculis erravit Pagius, vir aliàs eruditissimus.

Eodem tamen errore capti fuêre Capellus (648), Joannes Kepplerus (649), Henschenius & Papebrochius (650), Stampa (651), Blanchinus (652) & Nauzeus. Hic, inscriptionum humaniorumque litterarum Academiæ Regio-Parisiensis socius, suam sententiam ita probare tentavit.

 He-

(648) M. Anton. Capellus apud Stampam.

(649) Joan. Kepplerus *de vero ann. Chr.* apud Tirinum, ut n. 625, p. 58.

(650) Henschenius & Papebrochius, ut n. 557, p. VIII.

(651) Stampa, ut n. 254, col. 585.

(652) Blanchinus apud Stampam ibid.

Herodes, inquit (653), quo regnante natus est Christus, obiit anno IV ante æram vulgarem: atqui idem Herodes non obiit(654) nisi secundo circiter anno post Christi nativitatem, ut patet ex iis, quæ de Magorum adoratione & infantium cæde narrantur in Evangelio: ergò Christus natus est anno VI ante æram vulgarem.

